

Copyright information

Schippke, Aemilius.

De Speculis etruscis quationum particula. I, Dissertatio inauguralis philologica quam seripsit et amplissimi philosophorum ordinis consensu et autoritate in alma Litterarum universitate viadrina ad summos in philosophia honores rite capessendos die XIII. M. aug MDCCCLXXXI, hora XII. in aula Lespoldina.

Vratislaviae : S. Scholdlaenderi, 1881.

ICLASS Tract Volumes T.18.11

For the Stavros Niarchos Digital Library Euclid collection, [click here](#).



This work is licensed under a [Creative Commons Attribution-NonCommercial-NoDerivs 3.0 Unported License](#).

This book has been made available as part of the Stavros Niarchos Foundation Digital Library collection. It was digitised by UCL Creative Media Services and is copyright UCL. It has been kindly provided by the [Institute of Classical Studies Library and Joint Library of the Hellenic and Roman Societies](#), where it may be consulted.

Higher quality archival images of this book may be available. For permission to reuse this material, for further information about these items and UCL's Special Collections, and for requests to access books, manuscripts and archives held by UCL Special Collections, please contact [UCL Library Services Special Collections](#).

Further information on photographic orders and image reproduction is available [here](#).



With thanks to the Stavros Niarchos Foundation.



UCL Library Services
Gower Street, London WC1E 6BT
Tel: +44 (0) 20 7679 2000
ucl.ac.uk/niarchoslibrary

NOT TO BE
REMOVED
FROM THE
LIBRARY

NOT TO BE
PHOTOCOPIED



DE
SPECULIS ETRUSCIS
QUAESTIONUM PARTICULA I.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM SCRIPSIT
ET
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA
AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XIII. M. AUG. MDCCCLXXXI, HORA XII.
IN AULA LEOPOLDINA
PUBLICICE DEFENDET

AEMILIUS SCHIPPKE
REGIOMONTANUS.

ADVERSARII ERUNT:
MAX KULLA, DRD. PHIL. PAULUS PROHASEL, CAND. PHIL.
OSCAR PRZYGODE, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE
TYPIS S. SCHOTTLAENDERI.

Cum
ignorabam,
minus quam
conati sunt
gentis artis
vera docuer

Quare a
batur: non n
specula et o
numerabilia
Etenim nulla
atque etiam

Sed ma
adscripta su
certo explan
ut exemplis
observatis co
me absolviss
materiae tam

Vix ope
paucis dissert
opellam long
rationem et
peritissimus
aequales, et
abscesserint,
que mihi pro
memoriam, a
sed ut notitia
Brunnii alior

Cum mihi proponerem de speculis Etruscis agere, haud ignorabam, quam difficilis ea res esset. Gerhardus enim non minus quam Inghiramius, Corssenius item ac Lanzius frustra conati sunt difficultates tollere, quas iis opponebat inscitia gentis artis linguae Etruscae, et ex iis, qui mea sententia vera docuerunt, ne unus quidem fusius rem explanavit.

Quare ab ovo opus ordiri coactus eram, et labore labor augebatur: non modo — id quod initio sufficere putaveram — Graeca specula et omnis ars Etrusca conferenda erat, sed etiam innumerabilia illa vasa fictilia in Etruria reperta. Sed frustra. Etenim nulla re quaestio profligari potest nisi speculis etiam atque etiam inter se collatis.

Sed magis etiam modus rei terminatur: Nomina, quae adscripta sunt deabus ornantibus coronantibus, nunc quoque certo explanata non sunt. Summum in discrimen veniunt, ut exemplis utar, nomina HINOIAL et MALAFISX. — Quibus observatis conditionibus novam inii viam. Summam rei etsi me absolvisse non glorior, tamen spero opera mea notitiam materiae tam difficilis tractatu aliquantum profecisse. —

Vix operae pretium est omnium, qui hic illic de speculis pauca disseruerunt, sententias percensere. Quorum subitariam opellam longe superavit Gerhardus, qui hanc disciplinam ad rationem et artem redegit. Gerhardi opinio, ut erat vir artis peritissimus et summae auctoritatis, plurimum valuit apud aequales, et quamvis plurimi recentiores ab eius interpretatione abscesserint, tamen nemodum eam refellere conatus est. Itaque mihi proposui per singulos versus eam diluere. Gerhardi memoriam, aeternam illam quidem, ego tiro non offendam, sed ut notitia rerum Etruscarum processit opera C. O. Muelleri Brunnii aliorum, ita in speculorum cognitione opus esse censeo.

I.

Post obitum Gerhardi studium, quod illius assidua et indefessa industria colligendi circumscribendique specula ortum erat, languescere coepit, nam id, de quo quamquam non gravissimum erat, tamen plurimum disceptabatur, haud dubie exploratum est: discos illos non pateras, sed specula esse. De hac re iam non dubitare licet, quoniam specula in lucem prodierunt tam bene conservata, ut nunc quoque iis pro speculis uti possimus ¹⁾.

Hac quaestione sublata alia extitit non minus gravis: quid significarent deae modo alatae modo non alatae, aliquotiens singulae fictae, plerumque cum aliis coniunctae, quas persaepe in speculis expressas cernimus.

Quae quidem quaestio eo difficilior erat, quod illae feminae nunc nullam notam, nunc insignia varia gerunt.

Accessit inscitia linguae et mythorum Etruscorum; quo tempore denique specula illa ficta essent, pro certo explorari non potuit.

Nominum deabus adscriptorum rationem habuit unus Corssen, qui frustra, ni fallor ²⁾, operam dedit iis explanandis. Sed etiamsi eum vera invenisse censes, quid iuvant talia, qualia sunt:

LASA = die hilfreiche ³⁾

LASA FECV = die in dorf und stadt huldreich wirkende ⁴⁾

LASA SITMICA = die zum wohnsitz gehoerige ⁵⁾

¹⁾ C. Friederichs kl. K. u. Ind. p. 28. — Iisdem speculis convexis Sinesos usos fuisse docet Carus Sterne in »Vossische Zeitung« 1881 n. 257, 267, 279, 291. — cf. »Gartenlaube« 1877 p. 487 ss.

²⁾ Corssen: »Die Sprache der Etrusker« dicit vol. I, p. 259, deam MEAN, quae nisi ornans non fingitur, derivandam esse a voce »meare«.

³⁾ Corssen I, p. 246. — ⁴⁾ ib. I, p. 247. — ⁵⁾ ib. I, p. 249.

- MEAN = die wandelnde 1)
 MVNΘV(X) = die putzende 2)
 MALAFISX = die sanftblickende 3)
 ZIRNA = die glaenzende 4)
 AX(V)FIZR = die schnellblickende 5)
 ALPAN = die schaffende 6)
 LASA RACVNETA = die bewirkende 7)

Quid iuvat, dico, hoc scire? Non igitur ex lingua ignota, sed ex re ipsa quamvis difficili ordiundum esse censeo.

Res autem sic se habet.

In speculis Etruscis saepe fictae inveniuntur virgines, quae ob alas infixas deae habendae sunt.

In manibus gestant aut alabastrum stilumque 8) hamamve 9) lyramve 10) aut ornantes 11) aut coronantes 12) aut solae in singulis speculis extant 13). Nomina nonnullis adscripta sunt inexplorabilia, quae rem magis etiam perturbant. Singulis deabus et iis, quae binae in singulis speculis consociatae pictae sunt, nomina non adscripta sunt. Reliquae deae quae huc faciunt hae sunt:

- LASA FECV virgulam gerens 14)
 LASA ΘIMRAE 15)
 LASA RACVNETA 16)
 MV■AN 17)
 SNENAΘ 18)
- } alabastrum stilumque gestantes
- MEAN coronans 19) vel alabastrum cum stilo gerens 20)
 LASA SITMICA 21)
 MVNΘV(X) coronans 22) vel cum satyro saltans 23)
 vel alabastrum stilumque ferens 24)
 AXVFIZR speculum taeniamque gerens 25)

1) Corssen I, p. 259. — 2) ib. I, p. 339. — 3) ib. I, p. 342. — 4) ib. I, p. 367. — 5) ib. I, p. 353. — 6) ib. I, p. 256. — 7) ib. I, p. 248.

8) Gerhard: Etruskische Spiegel tab. 32, 34, 35, 42, 43, 181, 245, 221. — 9) ib. 40 s. — 10) ib. 144, 322. — 11) ib. 211, 212, 214, 216, 271A, 319, 381. — 12) ib. 165, 181, 322, 343, 312. — 13) ib. 32 ss. — 14) ib. 37. — 15) ib. 181. — 16) ib. 181. — 17) ib. 82. — 18) ib. 111. — 19) ib. 141 s. — 20) Bullet. del inst. 1878 p. 84. — 21) Gerhard 115. — 22) ib. 145. — 23) ib. 315. — 24) ib. 213, 145. — 25) ib. 219, 224.

ZIRNA alabastrum ¹⁾ tenens
 ALPAN ²⁾ cum palma
 HINΘIAL ³⁾ speculum tenens
 EPIE ⁴⁾ ornans
 RESXVALK ornans ⁵⁾ vel cum ave iocans ⁶⁾
 EFAN ⁷⁾ coronam in manibus gerens.

Primum id mihi premendum videtur, ex natura sepulcrorum, ex quibus specula prodierunt, nihil ad rem explorandam colligi posse, nam multas ac varias res propinqui superstites in mortui sepulcro deponebant, quibus ille vivus usus erat, in primis specula et pectines ⁸⁾. — Neque ea res, quod multa specula in cistis abscondita reperta sunt, lucem quaestioni attulit; immo a vero abduxit, quia viri docti auctoritate Viscontii commoti has cistas appellaverunt mysticas.

Broenstedius primus docuit nihil religionis in cistis inesse. Quem quamvis Gerhardus secutus sit, tamen cistas a mysteriis non abesse censuit ea praecipue de causa, quod ansae et coopercula persaepe argumenta bacchica hominesque eius generis repraesentarent. Sed vir doctus neglexit ansas et statuas in operculis fictas non ex ligno vel lamina, ut cistae, sed ex aere ductas esse ⁹⁾ ita ut ex differentia officinarum diversitas argumentorum orta sit ¹⁰⁾. Unde colligitur ex cistarum quoque natura nihil ad rem effici. Quare eorum qui ex ipsa natura speculorum ea mystica appellabant ¹¹⁾, rationem non habeo, nisi quod unam causam ab iis cum quadam pro-

¹⁾ Gh. tab. 322. — ²⁾ ib. 331. — ³⁾ ib. 213. — ⁴⁾ ib. 213. — ⁵⁾ ib. 215. — ⁶⁾ Bull. 1878 p. 144.

⁷⁾ Bull. 1878 p. 84. Praetermisi nonnullas eius ordinis deas, quae qua auctoritate fuerint non liquet; sunt ERIS EΘIS EΘAVSFA ΘANR aliae.

⁸⁾ Plin. n. h. XXXVI cap. 17.

⁹⁾ Abeken Mittel-Italien, p. 373 et 389 adn. 1.

¹⁰⁾ Hanc sententiam rectam esse concedes, si respexeris ansas et pedes cistarum saepe ita infixas esse, ut lineamenta compositionum obtegantur cf. Friederichs l. l. p. 126.

¹¹⁾ Inghirami: Spécchi mistici. — Rink in ann. Heidelb. 1824 p. 816: Der spiegel im grabe bedeutet eine froehliche auferstehung. — Creuzer Myth. III, p. 496: Der spiegel ist ein demiurgisches bild. Raoul-Rochette mon inéd. p. 187: comme symbole de la pureté. — Rathgeber Nike 278: Ein mystischer spiegel ist ein geraet aus erz, dessen nach der bestimmung

babilitate prolatam accuratius inspiciamus. Inghiramius enim dicit p. 816: si specula non mysteriis sed ornatui fuissent, plura argentea quam aenea specula reperta essent pro luxuria Etruscorum. Nec tamen hic ambiguum est virum doctum errasse, nam primum non intellegitur, quare mystae aeneis, ceteri argenteis speculis usi essent. Deinde causa, cur specula argentea incisa non prodierint, ea est, quod Itali eo tempore argenteis speculis omnino non utebantur. — Graeci quidem iam quinto saeculo a. Chr. n. aurea habebant specula ¹⁾, sed Plinius narrat ²⁾ Pasitelis demum temporibus argentea in Italia fabricata esse.

Sed ut illis quoque satisfaciamus, inventa sunt argentea specula, quorum nonnulla in museo Berolinensi asservantur. Haec cur lineamentis non ornata sint, C. Friederichs ³⁾ recte docuit. — Postremo vir doctissimus Raoul-Rochette opponit ⁴⁾, si haec specula comentibus usui fuissent, non intellegi posse, quid significient disci ex argilla ducti, qui identidem in sepulcris inveniuntur. Ad quae optime C. O. Muellerus ⁵⁾: ... so bedarf dies keiner anderen erklaerung als der in der allgemeinen sitte gegebenen, den toten oft nur scheinbilder der dinge mitzugeben, die sie eigentlich haben sollten«; aenea autem specula ornata pluris constabant quam quae ex argilla fingeantur.

Sed satis superque de re decantata: in speculis non plus religionis inest quam in cistis. Hoc primum ordine ac via

des verfertigers eine jungfrau oder frau teils waehrend der vorbereitung zu den mysterien, teils waehrend der feier sich bedienen sollte. Auf vorder- und hinterflaeche polirt (?), musste das runde geraet oder die metallscheibe eine mit schwachen linien eingegrabene bildliche darstellung enthalten, welche die insel der seligen betraf (?). Auf diese darstellung blickend, sah notwendigerweise das frauenzimmer seine eigenen gesichtszuege von bewohnern der insel der seligen umgeben. Das vom spiegel gezeigte bild galt gewissermassen fuer das andere ich, fuer die seele, auch fuer die gestalt, in welcher das frauenzimmer nach dereinstigem ableben unter glueckseligen fortzuleben hoffte. — Soviel zur erklaerung, was ein mystischer spiegel eigentlich ist (!!). Haec Rathgeberi verba eam ob rem plena huc restitui, ut ea postea refellere supersederem.

¹⁾ Eur. Hec. 923. — ²⁾ Plin. XXXIV, 160. — ³⁾ l. l. p. 50. — ⁴⁾ l. l. p. 187. — ⁵⁾ Kunstarchaeol. Werke II, p. 168.

demonstravit Gerhardus, qui et ipse in summum errorem incidit, cum non omnium speculorum habitum spectaret, sed unum tantum ordinem maxime perplexorum argumentorum primum tractaret. —

Etenim Gerhardus exorsus est disputationem ab iis deabus, quae singulae fictae sunt in singulis speculis. —

Viri docti et ante et post Gerhardi memoriam de his deabus sententias protulerunt inter se quam maxime discrepantes: Gorius dubitat ¹⁾ Clothone an Libitina an Venus infera an Proserpina an Hecate sit; Biancanius proponit nomen deae Noctis ²⁾, Inghiramius Lunae ³⁾; alii Nemesin ⁴⁾, Welckerus Fatam scribundam ⁵⁾, Rathgeberus Victoriam ⁶⁾, Rinkius Nortiam ⁷⁾, W. H. Engel Lachesin ⁸⁾ hanc deam esse putaverunt; C. O. Muellerus eam primum ⁹⁾, »eher alles andere als eine Schicksalsgoettin oder Nemesis«, postea autem ¹⁰⁾ Fortunam nominavit; Furtwaenglerus denique cum plerisque recentioribus eam »probabilmente una specie di Grazia« putavit esse ¹¹⁾.

Omnes priorum coniecturas reiecit recte Gerhardus, qui unus causas graves suae sententiae defendendae protulit. Gerhardus ipse, qui per tot annos speculis incubuit, optimus huius rei iudex, hisce verbis quid censeat exponit ¹²⁾.

»Die vorliegenden denkmaeler beweisen, dasz die zuerst hier in rede kommende goettin als eine dem menschlichen geschick vorstehende macht zu betrachten sei. Ihre fast regelmaessig fuer den beschauer links hingewandte richtung darf fuer eine guenstige gelten; das von ihr gehaltene schreibgefaesz laesst sie den Parcen oder den gleichfalls schreibenden roemischen Faten vergleichen. — — In gleichem sinne habe auch ich die goettin der uranfaenglichen Fortuna primigenia

¹⁾ Mus. Etr. I, 82; II, 186 s. — ²⁾ ep. II, 31 s. — ³⁾ l. l. p. 442. —

⁴⁾ ib.; cf. p. 328. — ⁵⁾ Griech. Goetterl. II, 186, adn. 43.

⁶⁾ l. l. p. 294: »Nike geht auf die unterwelt zu«.

⁷⁾ »Nortia als princip aller genesis und darum auch der palin-genesis«, l. l. p. 818.

⁸⁾ Kypros II, p. 641. — ⁹⁾ G. G. A. 1828, p. 873.

¹⁰⁾ Handbuch der Archaeologie ed. alt. p. 607.

¹¹⁾ Ann. del Inst. 1877, p. 194.

¹²⁾ Gerhard Etrusk. Spiegel vol. III, p. 3 ss.

gleichgesetzt, darum hauptsaechlich, weil gewisse Minervensbilder unserer spiegel ¹⁾ den fraglichen fluegelgestalten durch befluegelung und gleich rohe kunst verwandt sind, die praenestinische goettin aber mit wesen und dienst der Minerva verschmolzen wird ²⁾. Andererseits wird die anerkennung daemonischer gestalten durch ihre fluegel und durch die leichtigkeit ihrer bewegung, verbunden mit mangel an bekleidung, gestuetzt. Eine solche leichtbewegliche fluegelgestalt auf goetterbotinnen zu deuten — — ist kein genuender grund vorhanden, dagegen es um so weniger schwierigkeiten hat, ihrem daemonischen character gemaesz jene leichtbeweglichen goettinnen fuer die geschaeftigen ordnerinnen des menschengeschickes zu halten, fuer welche mit gleichem bezug auf ein geschriebenes Fatum die etruskische benennung waltender Lasen uns ueberliefert ist ³⁾.«

Hactenus Gerhardus, cuius verba quin uberius adscriberem facere non potui, quia plurimos aetatis suae in suam sententiam adduxit.

Sed si hanc viri docti argumentationem excusserimus eam debilem esse omnibus ex partibus cognoscemus. Primum enim quod ad habitum sinistrorsum dearum pertinet, hanc causam nullius momenti esse primo obtutu apparet, nam nescio cur Fortuna sola sinistrorsum procedat, quoniam omnes dii deaeque implorandi sunt, ut propitii sint hominibus. — Tum Gerhardus reddit causam stili et atramentarii, cuius argumenti vis, si quid video, non maior, nam mirum esset »Lasam« loco Fortunae Fataeve scribundae positam nusquam scribentem extare; vix credo deam, cuius est fata scribere, semper paratam, nunquam scribentem cerni. Praeterea nescio cur atramentario usa sit Fortuna, cui sortes modo tribuuntur ⁴⁾.

Deinde Gerhardus exponit non minus rudi ratione »Lasam« quam Minervam fictam esse. Sit ita, sed quid inde colligitur? Mea sententia id unum sequitur, et haec et illa spe-

¹⁾ cf. Gh. tab. 36. — ²⁾ cf. Gerh. Ac. Abh. II, p. 295.

³⁾ Gh. Etr. Sp. tab. 349.

⁴⁾ Preller. Roem. Myth. p. 561.

cula aut antiquiora aut antiquiore ratione ab artificibus consulto ficta esse. Certe hac quam premit Gerhardus similitudine lineamentorum non efficitur, ut »Lasa« eadem sit ac Fortuna.

Nec minus quae Gerhardus de vestitu deficiente et de motu »Lasarum« dicit, reicienda sunt; persaepe enim in speculis Etruscis conspiciuntur feminae graciles et nudaae, neque ulla extat causa, cur hanc deam potius Fortunam quam Irin vel Victoriam esse censeamus.

Speculum quo Gerhardus opinionem suam probari autumat, duos heroes habet, inter quos femina alata stat cum tabula vel volumine, in quo leguntur verba LASA HAMΦIARE AIFAS. Gerhardus ipse miratur¹⁾ cur hi duo viri coniuncti fingantur. Sed alia quoque est dubitatio: Si re vera Fortuna ex volumine sortem indictam heroum portendit, cur nomen ipsius »Lasae« in eo scriptum est? Num deae quoque sortem indictam esse putas? Jam intellegis volumen ipsum, quo imprimis nititur Gerhardus, obstare ne »Lasam« eandem esse putemus ac Fortunam. Quare ne hoc quidem speculum ad eam referri potest, praesertim cum »atramentarium«, praecipua illa deae, ut ait Gerhardus, nota, hoc loco omissum sit. Omnes igitur quas Gerhardus protulit causas ad confirmandam sententiam suam refellisse mihi videor, ac ne de atramentario quidem eius iudicium integrum est, ut paulo infra docebo.—

In universum denique Gerhardi interpretatio reicienda mihi videtur; namque omnium speculorum, quibus deorum mythi nobis proponuntur, argumenta aut plane Graeca sunt aut, ut Minervae mythi, tantopere Graecis fabulis accommodatae, ut perspicuum sit, quantum in modum Graecus cultus apud Etruscos valuerit. Quae cum ita sint, Gerhardus dubitare debuit tam levibus de causis deam Fortunam nominare; Fortuna enim est dea vere Italica.

Sed iam examinemus singula, ut ipsa specula persecuti Gerhardi sententiam quantum licet refutemus.

¹⁾ Gh. Etr. Sp. vol. III, p. 349: »Einen mythischen anlass dieser goettlichen kundgebung vermoegen wir ebensowenig nachzuweisen als die gegenwart des Amphiaros, der ein menschenalter vor Aias gelebt haben soll.«

Initio
omnes
non addit
arma scri
pant de h
Engel²⁾
Welckerus
de alabast
cuis³⁾ de
dum, J. R
luerunt;
quo abdit

Hanc
Rinkio ut
alteri instr
bendi intel
etsi conces
vel pugilla
mento usa
uno argum
facit¹²⁾, at
quidem se
quadrat.
reperta su
bastrorum
populi ant
257 A. 14).

Alias
dianam in
que concec

¹⁾ Die
pros II, p. 6
p. 794. —
p. 97; cf. p.
— ¹¹⁾ Gerh.
¹²⁾ Gh.
p. 236, 694.
¹⁴⁾ Bull

Initio libri quem scripsit de speculis Etruscis, collegit omnes »Lasas«, quae singulae extant. Quarum paucae signo non addito, plurimae cum alabastro stiloque, quae Gerhardus arma scribendi putavit, incisae sunt. Longe inter se discrepant de his instrumentis iudicia: Dennisius ¹⁾ enim et W. H. Engel ²⁾ cum Gerharo consentiunt, C. O. Muellerus ³⁾ et Welckerus ⁴⁾ de lecytho, Rinkius ⁵⁾ de phallo, Rathgeberus ⁶⁾ de alabastro et acu, C. Friederichs ⁷⁾, Guil. Deecke ⁸⁾, Garucius ⁹⁾ de pyxide et calamo, quo utebantur feminae ad fucandum, J. Roulez ¹⁰⁾ de balsamario et discerniculo cogitare maluerunt; Viscontius ¹¹⁾ denique dixit eum esse lecythum, in quo abdita sit aqua Stygia.

Hanc sententiarum farraginem si percenses, duo modo Rinkio ut par est neglecto earum genera possunt discerni: alteri instrumenta comendi, alteri, in quibus Gerhardus, scribendi intellegunt. Hos erravisse facile est intellectu; namque etsi concesseris stilum scribentibus usui fuisse, tamen tabula vel pugillares desiderantur. Sin autem putas »Lasam« atramento usam fuisse condito in alabastro, num censes in illo uno argumento, quo Gerhardus deam me negante scribentem facit ¹²⁾, atramento in muro vel in pariete scripsisse? Mea quidem sententia atramentum in papyrum, non in murum quadrat. Accedit quod nonnulla atramentaria vere antiqua reperta sunt, quorum forma longe abhorret a forma alabastrorum ¹³⁾. Etrusci eodem modo scripserunt atque ceteri populi antiqui, quae res colligi potest ex speculo Gh. tab. 257 A. ¹⁴⁾.

Alias praeterea causas, quas contra coniecturam Gerhardianam in promptu habeo, infra afferam. Id autem unusquisque concedet, ex solo alabastro, quod quid sibi velit nesci-

¹⁾ Die staedte und begrabnisplätze Etruriens p. XXVII. — ²⁾ Kypros II, p. 641. — ³⁾ Handbuch p. 607. — ⁴⁾ A. D. II, p. 538. — ⁵⁾ l. l. p. 794. — ⁶⁾ l. l. p. 294. — ⁷⁾ l. l. p. 61. — ⁸⁾ Mueller Etrusker II, p. 97; cf. p. 100, 112. — ⁹⁾ Bull. 1865, p. 55. — ¹⁰⁾ Ann. 1862, p. 181. — ¹¹⁾ Gerh. vol. III, p. 85.

¹²⁾ Gh. tab. 82. — ¹³⁾ C. Friedrichs l. l. p. 136. — Guhl et Koner p. 236, 694.

¹⁴⁾ Bull. 1868, p. 216.

mus, nihil colligi. Si iam hoc signum demis, tota coniectura corrui, nam nihil aliud est, quod pro Gerhardo pugnet; per se autem eae deae non intelleguntur. —

Sed in iis speculis, quae sola Gerhardi sententiam defendunt, nonnulla extant, quorum argumenta ex analogia modo interpretari potest: Tab. 35, 5 cernitur imago deae alabastron et florem gerentis; Gerhardus haesitat¹⁾: »Man koennte geneigt sein, jenes gefaesz ausnahmsweise für ein salbgefaesz zu halten, wird aber doch im zusammenhange mit so vielen aehnlichen fluegelgestalten es vorziehen, auch hier ein schreibgefaesz zu erkennen.« Sed in museo Dresdensi speculum aservatur, in quo »Lasa« eundem florem alabastrumque tenet²⁾. Flores autem Fortunae non esse quis nescit? Conspicuum igitur est ne in his quidem paucis speculis eum rationem suam persequi potuisse.

Sed audacius eam quam iniit viam sequi cogitur: Tab. 244 A conspicua est femina alata manu gerens specula et frondem. Hoc quoque Gerhardus interpretari conatur: »Aehnliche freundliche attribute sind uns bei den Etruskischen lenkerinnen des schicksals schon frueher begegnet, dagegen ist es neu und willkommen, den spiegel als attribut derselben goettin hier aufweisen zu koennen.« Quomodo autem speculum muneri Fortunae aptum sit, vir doctus non ostendit. Ceterum ea dea, cuius est fata scribere, non comis, ut ait ille, sed inevitabilis Parca habenda est. —

Sed Gerhardus »Lasam« vel, quam eandem putat, Fortunam non modo cum Minerva coniungit, sed Minervam ipsam munere Fortunae fungentem facit, imprimis laudans spec. tab. 36³⁾, in quo femina alata ficta est vestita cum tutulo, alabastron tenens; inscriptio addita est

Q. FRONTO MINERVAE D. D.

Esset hoc sane Gerhardo argumentum nihil dubii relinquens; si genuinum esset, sed ipse negare non ausus est sup-

1) Etr. Sp. vol. II, p. 15.

2) Rathgeber l. l. adn. 2497; dubitationes, quas Gerhardus de hoc speculo movit, vanas esse apparet speculum contemplanti.

3) Vol. III, p. 17: Votivspiegel fuer Minerva.

positum i
qui linea
que deae

In ea
item Gerha
neque flo
Lasa-Fortu
non utitur

In hi
representat
mihi videc

Deind
quibus bin

Multa
anaglyphis
lorum dea

notabiles s
autem Fo
alabastrum

Nempe Ge
nicht wiede

benden go
zieles dem

gefaesz da
dieser zeic

gehalten w
loco pro a

posita est,
aliis specu

1) »Ein
nicht vorgek
masse gefueh
weisen liesse

2) Rath
und eine aus
3) Arch
6) Rink
stellung; als

positum id fortasse esse ¹⁾. De qua re nemo dubitare potest qui lineamenta litterarum et alas inusitata forma pictas bracasque deae contemplatur. —

In eadem tabula 36 aliae Minervae imagines extant, ubi item Gerhardus loquitur de Minerva-Fortuna, cum neque arma neque flores aut columba Fortunae convenient; deinde si Lasas-Fortuna atramentarium gereret, cur Minerva-Fortuna eo non utitur?

In his igitur speculis, in quibus singulae feminae alatae representatae sunt, Fortunam adhuc non inventam esse satis mihi videor docuisse.

Deinde in libro Gerhardiano proponuntur specula, in quibus binae »Lasas« inter se oppositae expressae sunt ²⁾.

Multa verba facit de mala et bona Fortuna, quae in anaglyphis ³⁾ et picturis ⁴⁾ cernantur, unde has quoque speculorum deas »Fortunam geminam« nominat ⁵⁾. Sed eae feminae notabiles sunt saltatione, quae tab. 42 quater efficta est. Quid autem Fortunae cum saltatione? Accedit quod saltatrices alabastrum illud gestant. Ecquid scribunt inter saltandum? Nempe Gerhardus: »Es konnte dem sinne der weltordnung nicht widersprechen, die beiden im einzelnen oft widerstrebenden goettinnen bildlich im bewusstsein des gemeinsamen ziele dem Tanze der Horen vergleichbar darzustellen. Das gefaesz das uns sonst als schreibgefaesz galt kann im stil dieser zeichnung vielleicht fuer das salbgefaesz des putzes gehalten werden« ⁶⁾. Non dubitat igitur docere Fortunam hoc loco pro atramentario, in quo tota salus illius interpretationis posita est, balsamarium tenere. Eiusdem deae eadem arma in aliis speculis aliter prout libet interpretatur. — Tantum aberat

¹⁾ »Eine zueignung dieser art ist auf Etruskischen spiegeln sonst nicht vorgekommen. Ihre schriftzuege, roemisch in ungewoehnlich kleinem masse gefuehrt, erwecken verdacht, ohne dass eine faelschung sich nachweisen liesse.«

²⁾ Rathgeber p. 291: »Eine von der insel der seligen kommende Nike und eine aus der unterwelt dorthin gehende begegnen einander.«

³⁾ Arch. Ztg. IV tab. 47, 2. — ⁴⁾ ibid. tab. 38, 4. — ⁵⁾ vol. III, p. 26.

⁶⁾ Rink l. l. p. 818: »Hier erscheint Nortia in leichter tanzender stellung; als zeugungsgoettin hat sie den kabirenhut auf« (!).

ut Gerhardus opinionem praesumptam dimitteret, ut in reliquis speculis, ubi vix quisquam de vero dubitare potest, Fortunam nobis proponeret, ut tab. 82, ubi partus Bacchi cognoscitur. Femina alata MV■AN(?)¹⁾, in laeva alabastrum gerens dextera stilum super capite Jovis parturientis movet. Qua de causa hic Fortuna addita esset? Num Baccho deo fata dictura? — Tab. 85 cernuntur TVRAN et ATVNIS; iuxta Venerem sedet »Lasa«, per quam fatum Adonidis portendi Gerhardus dicit; sed si artifex Fortunam fingere voluisset, eam videlicet Adonidi, non Veneri adiunxisset. Idem Adonis cum Venere fictus est tab. 111; Adonidi adstat PULOISΦ cum lyra, Veneri SNENAΘ cum balsamario et stilo. Snenath, cuius nomen nusquam nobis occurrit in speculis vel alibi, alis caret, fortasse quia artificem locus defecit. Pulthisph, qui habendus est Amor, apud Adonidem, Snenath iuxta Venerem sedet. Mirum esset hoc quoque loco Fortunam Veneri pro Adonide adiungi. Amor »Lasae« oppositus Gerhardum vera docere potuit. — Ultimum²⁾ denique eorum speculorum, quae Veneris et Adonidis amorem continent, non magis recte interpretatus est. Sunt ATUNIS et TURAN quae se applicat ad deam alatam LASA SITMICA³⁾. Gerhardus de mysteriis cogitat, sed spero eum perpauca persuasisse. Me iudice Lasa Sitmica levitate artificis pectore virili ficta est; qualia errata in speculis passim inveniuntur⁴⁾. Venus autem et Lasa habitu statuque tam arte coniunctae sunt, ut vix quisquam cum Gerharo deam Fortunam agnoscere intellegat. Lineamentis nominum adscriptorum Gerhardus non minus frustra suntentiam suam defendit tab. 77 accita: Diis APLV et LEITVN, Apol-

¹⁾ Lánzius saggio II, p. 195 legit MVSAN vel NVSAN; Viscontius, Oeuvres Mus-Piocl. IV, p. 368 MVRAN i. e. Moira mavult dicens: »On peut la représenter avec une baguette, pour indiquer les hérosopes et les signes prognostics de la naissance dans le ciel«. — Fortasse ex MV■AN vel NV■AN quae literae restare videntur, TVRAN restituendum est. Gerhardus legit MEAN.

²⁾ tab. 115.

³⁾ Rink l. l. »wahrscheinlich ein familienlar als fuersprecher zur Palingenesie«.

⁴⁾ cf. Friederichs p. 30 s., 36, 47, 81.

lini et Latonae, adsociatia ibi est dea nomine MVIRA, sed iam Gerhardo notum erat hanc vocem retrorsum quoque legi posse ARTVM, ac sane multo aptior loco Diana est quam Fortuna, quae quid sibi velit in tali compositione nescio. —

Gerhardus ipse nonnumquam de Fortuna dubitat, ut in tab. 165, ubi cognoscuntur Tages¹⁾, Minerva, Venus, Hercules a femina non alata coronatus, quae altera manu caput eius sertis ornat, altera balsamarium fert. Nomen gerit MVNOV. De qua dea Gerhardus exponit quae sequuntur: »Nach handlung und attribut kann sie der siegesgoettin oder auch den beliebten daemonischen schicksalsmaechten verglichen werden; da sie jedoch unbekleidet²⁾, im schmuck ihres kopfes und halses dem Gefolge der liebesgoettin entsprechend, dieser selbst gegenueberstehend und durch den beigeschriebenen namen zu deren gefolge gehoerig ist, so ist sie vermuthlich fuer eine der Grazien oder Parcen³⁾ zu halten.« Perspicuum est Gerhardum eidem deae alio loco alia nomina indere ex suo arbitrio. Nam cum in praecedentibus speculis⁴⁾ deae coronanti nomen Fortunae dederit, iam Gratiam aliquam hic haberi putat. Ceterae »Lasae« non minus nudaee, non minus comptis crinibus cur non item Gratiae habendae sunt? —

Nimirum in sequenti speculo Fortuna ab editore repetitur. Loquimur de magnificentissimo Durandiano quod vulgo nominatur »Helenaspiegel«. In eo tres »Lasae« fictae sunt: MEAN coronat Alexandrum ELXNSTRE, quam coronam non ornatus causa impositam, sed similem esse iis sertis, quae mortuis affiguntur⁵⁾, dicit Gerhardus. Sed vir doctus neglexit

1) Vel, ut mavult. J. Roulez Ann. 1872, p. 221, Telephus. cf. Friederichs, p. 73.

2) Obliviscitur »Lasas« plerumque nudas esse.

3) Gh. Ac. Abh. I, p. 332: — — Eine Grazie, wo Venus als liebesgoettin, eine Parce, wo sie als schicksalsgoettin erscheint. Tres ergo deas fortunae praeesse dicit: Lasam-Fortunam, Minervam-Fortunam, Venerem-Fortunam.

4) tab. 141 ss.

5) Gh. Etr. Sp. vol. III, p. 174: »Die handlung spielt auf der insel der seligen«.

paucis tabulis ante ¹⁾ eandem cerni formam coronae »Lasa« Herculem coronante, quo loco ne Gerhardus quidem de morte cogitat. Ego non miror tali coronae forma. Si dea Paridem coronat, nulla alia causa esse potest atque ea, ut agnoscat et praemio tollat eius pulchritudinem. Fortuna atramentarium Gerhardianum gereret, non coronam. Secunda, LASA ΘIMRAE, alabastrum stilumque gerens ab editore habetur Fortuna quae Troiae sortem regit ²⁾. Non satis est ergo Gerharo unam Lasam fata Paridis scribere, alteram quoque simili munere fungentem facit. Antea dixerat, ubi in singulis speculis binae Lasae extarent, alteram secundam alteram adversam esse, nunc docet utramque designare sortem funestam Troianorum. Nec tamen hae duae Fortunae ei sufficere videntur. nam tertiam quoque, LASA RACVNETA Fortunam esse arbitrabatur; cum autem non inveniret, cui rei haec Fortuna praeesset, dixit eam alias Lasas quasi observare et nobiliorem locum quam illas tenere. Ad conclusiones tam perversas abduxit opinio praeiudicata virum meritissimum.

Compluribus aliis tabulis libri Gerhardiani ostenduntur mulieres ab aliis comptae, in quibus prae ceteris notandum est spec. tab. 216: MALAFISX ³⁾ in sella posita comitantibus duabus feminis comentibus. Editor dicit hanc deam eandem esse ac Malache, quae Lemni colebatur. Sit ita, sed non concedendum est, quod ex ea coniectura colligit: »An den grenzen der Oberwelt, wenn nicht im eiland der seligen scheint unser bild jene goettinnen (scil. Moeren) darzustellen, wie sie die neuerstandene mysteriengoettin neu auszuschmuecken beschaeftigt sind« ⁴⁾. Sed quaecunque dea Malavisch est ⁵⁾, nus-

¹⁾ tab. 165.

²⁾ »Sie erwartet bedenklich den fortgang der dinge, den sie im voraus aufzuschreiben im stande ist.«

³⁾ Rathgeber p. 282: »Stellvertreterin der mystischen hauptgoettin Malavisch ist nicht name, sondern titel, wie madonna u. dgl. und bezeichnet sie als koenigin der insel der seligen«.

⁴⁾ Non minus aberravit Corssenus I, p. 275 de oratione apud inferos facta cogitans.

⁵⁾ Quae sit dea Malavisch, sub iudice lis est. Gerhardus ipse et de dea mystica et de Helena cogitavit, necnon Corssenus I, p. 341 ait vocem Malavisch idem significare quod Helena. Sed si Helena cognoscitur, cur

quam in
tractantes
matrona a
Parcis con

Eadem
feminas oc

EPIE

tenet, MVN
dominae i
nobilibus.

Neque

quae sequi

conspicamu

pos habend

est miles

attributis: i

esse illi cre

doctus dicit

qui alabastr

dem fert re

non esse ma

Tab. 2

(Junonem?).

mario stiloq

aliud nomen g

in speculis? C

I, p. 75) et in

Stephani C. R.

¹⁾ Rathg.

naechtlichen M

nari per Vener

²⁾ Rathg.

Atropos dem dr

³⁾ Gh. Etr

⁴⁾ Specul

fices horum aer

4 p. 12.

⁵⁾ Gh. vol

kenneht war, d

quam in speculis significatio fit mysteriorum. Rem sobrie tractantes nil nisi hoc invenimus: Malavisch, sive dea sive matrona a duabus feminis alatis, deabus scilicet, comitur. De Parcis comitentibus nihil comperimus.

Eadem Malavisch repetitur tab. 213 in qua complures feminas occupatas videmus eam ornando¹⁾.

EPIE capillum deae nodo religat, HINΘIAL speculum tenet, MVNΘV laeva discerniculum gerens dextera στεφάνην dominae imponit; TVRAN adest ut saepenumero feminis nobilibus.

Neque minus facile Gerhardum erravisse ex iis intellegitur quae sequuntur speculis: Tab. 230 lineamenta trium hominum conspicamur, qui ut Gerhardus vult, Mercurius Achilles Atropos habendi sunt²⁾. Mercurius conspicuus est caduceo; alter est miles armatus, e cuius regione femina stat alata cum attributis: in altera manu acutam aliquam rem, quem stilum esse illi credimus, alteram autem clavum tenere non scite vir doctus dicit. Quae sententia iam a L. Muellero refutata est, qui alabastrum esse censuit. Sed et Helena³⁾ et Venus⁴⁾ eandem fert rem. Speculum sine dubio est⁵⁾, quod vero Fortunae non esse manifestum est.

Tab. 282 TINIA i. e. Jupiter amplectitur deam VNI (Junonem?). Iuxta eos femina non alata est cum balsamario stiloque, quam Gerhardus Irin putat⁶⁾. Hoc igitur

aliud nomen gerit, praesertim cum vox ELINAI(A) nobis saepius occurrat in speculis? Ceterum similes ornationes extant in cistis (Boettiger Sabina I, p. 75) et in vasis fictilibus (Raoul-Rochette mon. inéd. tab. 49 A. — Stephani C. R. III, p. 116, 118).

¹⁾ Rathg. p. 282: »Die sitzende Malavisch wird zur zeit der feier der naechtlichen Mysterien geschmueckt«. Aemilius Braun censet Ariadnen ornari per Venerem et Horas. Arch. Ztg. 1845, p. 30.

²⁾ Rathg. p. 289; »Waehrend der mond am himmel steht, verraet Atropos dem dritten, dasz die weltgesetze seinen tod begehren«.

³⁾ Gh. Etr. Sp. tab. 198. — ⁴⁾ ib. 352.

⁵⁾ Speculum quod dea tenet sane perperam expressum est, ut artifices horum aerum leves et parum diligentes erant. cf. huius Diss. adn. 4 p. 12.

⁶⁾ Gh. vol. IV, p. 10: — — »Nachdem sie vermuthlich noch vorher bemueht war, die schoenheit ihrer gebieterin durch faerbung zu steigern«.

speculo eadem dea Iris nominatur, quae alibi Fortuna dicebatur. Mihi certe persuasum est deam, quae hic rei amatoriae interest, eandem esse quae, ut supra vidimus, Adonidi et Veneri adest.

Tab. 390 exstat Eos cum Tithono TINΘVM et Memnone MEMRVN; adest LA■A (i. e. Lasa) stilum gerens. Quid autem est Fortunae cum Tithono? Utrumque immortalem fuisse a multis traditum est. Sed cum alii tradiderint eos fato obiisse, concedo fieri potuisse ut Parca inevitabilis iis adiungeretur. Quae dea quin apud Etruscos celeberrima fuerit dubitari non potest, quia in urnis persaepe interficiendis vel interfectis hominibus addita est, sed ex urnarum argumentis discimus huic deae nomen fuisse FANΘ, et in eo solo speculo, quo Fata ἄτροπος cognoscitur¹⁾, nomen FANΘ legitur.

Tab. 389 Minerva et dea »Lasa« alabastrum ferens adsunt Achilli. Gerhardus hanc deam Fortunam nominavit qua in re neglexit, ubi Minerva Achillis alacritatem incendat, ibi Fortunam inepte positam esse. Si pro Minerva Thetis adesset, Gerharo fortasse adstipularemur.

Hactenus dictum est de iis speculis, quae Gerhardus attulit, et de ipsa illius interpretatione. In qua maxime eum adiuvat quod dea Fortuna a plerisque rebus humanis non alinea est. Si »Lasa« militi adest, si Alexandrum coronat, si denique cum quolibet consociata est, vis Fortunae ei esse potest, sed causae, quas non iniuria me protulisse spero, graves obstant. — Postremo fieri non potest, quin Corsseni mentionem faciam Gerhardum plane secuti²⁾, qui ipse ostenderit quam artis vinclis coniuncti sint Lares et Lasae. Nititur Corssenus pictura aliqua sepulcrali, qua dea ficta est alata scribens in diptycho. Parcam aliquam hoc loco sortem hominis scribere non nego, sed id non modo in laudata pictura, sed alibi quoque fit³⁾. Unde nihil colligi potest. Quod alibi dea aliqua in diptycho scribit, eam ob rem alia dea non scribens Fortuna est? Idem ait:

1) Ann. 1875 p. 86 s. — 2) l. l. I, p. 564. — 3) Rink l. l. ad. Ingh. tab. 35.

»Diese schreibende gestalt ist die etruskische schicksals-
goettin Lasa, die auf bronzespiegeln mehrfach dargestellt ist
mit griffel und schreibgefaess oder mit einer rolle in der
hand um die geschicke der menschen zu verzeichnen, und
entspricht der roemischen Fata scribunda«.

Illa arma scribendi non extare docuisse mihi videor. no-
men autem, quod Lasa semel gerit, argumentum non esse
supra ostendi. Eo magis mira Corsseni verba sunt, quod ipse
deas Lasa Vecu, Lasa Sitmica etc. longe alia ratione inter-
pretatus est.

II.

Gerhardi sententia plene atque accurate refutata iam nostrum est ostendere, in quo numero eae deae habendae sint.

Materia a Gerharo coacervata ab aliis aucta haec docet: Primum id mihi premendum esse videtur, lineamenta figurarum plerumque rudia ac deformia esse, qua ex re colligitur specula vilia fuisse eorumque usum in plebe frequentissimum; ea igitur, quae in iis figurabantur, pervulgata fuisse. Tum consentaneum est iis rebus, quae ad ornatum pertinent, nil nisi iucunda et amoena fingi, unde intellegitur, quare nunquam Charontem dirum illum deum Etruscum¹⁾ aut deas inferas, quae persaepe apparent in urnis vasisque Etruscis, in speculis repraesentatos videamus. Etrusci videlicet »obesi«²⁾, »Tyrrheni pingues« potius finxerunt argumenta quae ingeniis suis luxuriosis et libidinosi apta erant. E re ipsa ergo sequitur illarum dearum naturas esse comes hilaresque³⁾.

Postremum quod pertinet ad tempus quo haec specula ficta videntur esse, omnes viri docti nostrae aetatis consentiunt plurima eorum Alexandrinorum aetate orta esse⁴⁾. Si autem cum C. Friederichs⁵⁾ censes nonnulla antiquiora esse, nihil obstat, namque iam ante Tarquiniorum aetatem architecturam plasticam ceteras artes fingendi a fabris artificibus Graecis in Italiam traductas esse constat⁶⁾.

Quare cum in urnis vasis gemmis aliis artificiis Etruscis Graecos mythos expressos videamus, eosdem etiam in speculis

1) cf. Dennis: Die staedte und begraebnisplaetze Etruriens, p. 500.

2) Catull. 39, 11.

3) In speculis hic illic viri pugnantes vel Minerva pugnans cernitur, sed re accuratius inspecta vides ea specula plerumque esse Praenestina, quae valde differunt ab Etruscis, de qua re infra agemus.

4) Helbig Ann. 1865, p. 269. — 5) l. l. p. 33. — 6) Strabo V, p. 220. Plin. 35, 12.

fictos su
bonum fr
ramus, re
et argume
Ordie
Lasae sola
damus, se
diis sive c
dearum eli
Initiu
inveniunt
Venus cog
AXVEIZR
alata, quae
Vix erit q
gnosci. Ac
paratam ha
altera aute
gestent: s
cilia vel ali
est munus
tab. 384.
σραφάνη in
Eodem
hama affert
git, iuvenib
fructus affe
esse possit.
apparet, fan
1) Egreg
2) cf. O
39, 42, 44.
3) Gh. t
tempeldienerin
blumen begies
qua fingitur n
4) Post
minae alatae c

fictos suspicari fas est¹⁾. Id igitur respiciendum est, ut, si bonum fructum ex hac quaestiuncula nos capturos esse speramus, rem tractemus salvis iis quas explicuimus de tempore et argumentis legibus.

Ordiendum scilicet est non ab iis speculis, in quibus »Lasa« sola extat, ne in eundem errorem ac Gerhardus incidamus, sed ab iis, in quibus dea coniungitur cum aliis sive diis sive deabus, ut ex compositione rerum munus harum dearum eliciamus.

Initium autem faciamus in speculis tab. 319 et 384 quae inveniuntur in quarto volumine libri Gerhardiani. In priore Venus cognoscitur nomine adscripto TVRAN; femina alata AXVFIZR cum taenia ei speculum praebet; alia femina non alata, quae eadem teniam fert, genae Veneris admovet bacillum. Vix erit qui neget hoc argumento exornationem Veneris cognosci. Achuvizr quidem, quae speculum tenet et taeniam paratam habet, ministra vel κοσμήτρια, ornatrix habenda est; altera autem docet cur deae alatae alabastron stilumque gestent: scilicet in illo continetur fucus, admoto stilo supercilia vel aliae partes faciei tinguntur²⁾. Non minus perspicuum est munus deae ornatrix in altero quod laudavi speculo tab. 384. Sedet in cathedra matrona, cuius capiti ministra στεφάνην imponit. Pone dominam stat dea alata cum umbella.

Eodem pertinent alia eiusdem deae officia: Aquam in hama affert, ut domina lavetur³⁾, speculum floresque ei porrigit, iuvenibus puellisque adest comptura adiuturaque amantes, fructus affert vel vascula coronasque⁴⁾ ita ut nullum dubium esse possit, quin ubicunque dea in talibus compositionibus apparet, famulae vel cubiculariae munere fungatur.

¹⁾ Egregie hoc ex ipsa lingua Etrusca collegit Corsenus I, p. 856 ss.

²⁾ cf. Ovid ars am. 201. — Juv. II, 100—102 (Ribb.). Luc. am. 39, 42, 44.

³⁾ Gh. tab. 40; cf. vol. III, p. 24: »Nike oder Iris mit eimer als tempeldienerin«. Rathgeber p. 15: »Nike will im garten der seligen die blumen begiessen«. Meam sententiam esse scitam docet pictura sepulchralis, qua fingitur mulier m. d. alabastron, s. hamam ferens. cf. Bull. 1863, p. 44.

⁴⁾ Post opus Gerhardianum editum specula prodierunt in quibus feminae alatae coronantes extant. cf. Bull. 1870 p. 103. — 1873 p. 121.

Ex his similibusque argumentis usum illius alabastris stilique, insignium deae, cognoscere possumus, velut tab. 319 videmus, ut supra diximus, feminas nobiles eis usas esse pyxidibus et stilis ut faciem fucarent¹⁾; alibi stilus pro discerniculo adhibetur, ubi alabastrum habendum est vasculum olearium²⁾; quae usurpatio stili quamvis C. Friederichs deneget (pag. 62), conspicitur in tab. 317³⁾.

Convertimus nos ad ea specula, in quibus Venus cum Adonide ficta est »Lasa« addita. Iam antea diximus hanc deam in unoquoque huius generis speculo non Adonidi sed Veneri adiunctam esse. »Lasam« ergo Veneri quin addicamus facere non possumus. Fidem affert huic opinioni speculum 322, quod iam J. Roulez Ann. del inst. 1862 p. 181 ss. laudavit eandem sententiam probans. Ficta est TVRAN cum Adonide ATVNIS, quibus adsociata est ZIRNA ferens balsamarium et stilum. In circuitu variae extant deae eiusdem generis ac ZIRNA: MVNΘV easdem res, MEAN palmam, tertia figura alata lyram et plectrum ferens. Quodsi in his quoque speculis »Lasa« alabastrum et stilum gerit, haec ornatus instrumenta habenda sunt.

Hae mundi muliebris res apud feminas Etruscas tanta auctoritate fuisse videntur, ut ab illa dea secerni fere non possent; quo factum est, ut minus apte »Lasa« alabastron ferat tabb. 230, 389, 82, quas supra descripsimus. Non tamen offendimur hoc usu liberiore, quem in vasis fictilibus saepissime usurpatum esse quis nescit?

Accedunt duo specula nuper reperta, alterum⁴⁾ in quo cernimus ATVNIS inter deas MEAN et EFAN illam ala-

1) Friederichs, p. 62. — Accedit quod ex sepulchris fucus petrificatus in lucem productus est. Becker Gallus III, p. 119.

2) Cuius usum cognoscimus in pictura quae dicitur Nuptiae Aldobrandinae. Speculum denique 301, quo Amor has res fert, docet eas ornatui esse.

3) Talia discernicula nonnunquam in cistis reperta esse docent Garuccius Bull. 1865, p. 56 et Helbigius Bull. 1866, p. 16. Ibidem publici iuris factum est speculum, cuius argumentum discerniculi usum sine dubio monstrat.

4) Bull. 1878, p. 84. Helbigius qui primus hoc speculum edidit ait: — »Mean accenna ad Evan, affinché Adonide faccia l'amore con questa«. Num haec interpretatio vera sit, vix diiudicari potest, fortasse Adonis a deabus famulis ornatur, ut dignus sit amore Veneris. —

bastrum
extant
LASA n
Hucusque
dubio ac
caedem
intellectu.

Inter
quod Ger
extant: M
ut saepe,
tionis, La
menta tan
figurae si
non apud
sit. In cap
rerum con
tales figu
quoque s

Conte
iam supra
Fortunae
me ration
obscura
Victoriae

In ii
pro certo
Veneris p
Tab.
patera ges
duabus fe
altera alata

1) Bul
2) Ger
cernitur in
3) Ger
aliquid myst

bastrum stilumque, hanc coronam gestantem. In altero¹⁾ extant TVRAN et ATVNIS inter se amplexi; iis adest LASA nuda alata dextra torquem gerens et MENRFA. — Hucusque omnes feminae alatae quas tractavimus, sine dubio ad res venereas pertinebant. Iam quaeramus, quid eaedem deae significant in aliis argumentis difficilioribus intellectu.

Inter omnia quae restant specula celeberrimum id est, quod Gerhardus tab. 81 recepit. Tres deae famulae in eo extant: MEAN, LASA ΘIMRAE, LASA RACVNETA. Mean, ut saepe, coronat Herculem, Lasa Thimrae in fine compositionis, Lasa Racuneta in capulo cernitur. Cuius speculi lineamenta tanta cum diligentia curaque confecta sunt, ut omnes figurae sibi respondeant; unde factum est ut Lasa Thimrae non apud Helenam, qui locus ei convenit, sed in fine posita sit. In capulo Lasa Racuneta adumbrata est, non in certo rerum conexu, sed quia speculum ipsum artificii locum dedit tales figuras alis passis in capulo formandi. Itaque hoc quoque speculum non obest sententiae nostrae.

Contendo iam ad decantatum speculum tab. 339, de quo iam supra uberius verba feci cum ostenderem Lasam hic loco Fortunae non esse. Concedo equidem in hoc uno speculo me rationem meam persequi non posse. Sed in re tam obscura nihil certi affirmare ausim, nisi forte Lasa famula Victoriae est. —

In iis speculis, quae restant, vim Lasarum quamquam pro certo explorare non possumus, tamen eas ad munus Veneris pertinere suspicamur.

Tab. 151: »Lasa« iuxta Venerem et Herculem fruges in patera gestans²⁾. — tab. 271A: Mulier sedens ornatur a duabus feminis, quarum altera non alata speculum tenet, altera alata alabastrum gerit.³⁾ — tab. 37 MENRFA cum

1) Bull. 1873, p. 110 cf. 1874, p. 260.

2) Gerhardus hanc deam Victoriam nominat. Idem fere argumentum cernitur in spec. 262, ubi ille de dea Hedone cogitat.

3) Gerhardus: Libera Peitho und Telete. Huic quoque speculo aliquid mystici inesse putat.

LASA FECV quae virgulam viridem gerit ¹⁾. — tab. 62: Mercurius cum dea alata. — tab. 247: Dea alata apud sponsum et sponsam, ut Gerhardus recte ni fallor censuit. — tab. 248: »Lasa« iuxta puellam. — ibid. »Lasa« cum femina aliqua ad puteal. — tab. 248 A: »Lasa« speculum sibi obtendens, in cuius conspectu mulier magnifice vestita. — tab. 249: Dea alata iuvenem amplectens ²⁾. — tab. 250: Dea alata cum puella vestita ³⁾. — tab. 251: Dea alata sedens; ante eam femina nuda, pone puam puer ⁴⁾. — tab. 255 A: Dea alata cum Amore alato. — tab. 343: Hercules a femina coronatur, quam Gerhardus Victoriā nominare non debuit dubitare. —

Omnibus his speculis et iis quae antea ut Gerhardum convincerem laudavi sententia mea vel non confutatur, vel confirmatur. Agitur num virgines alatae cum aliis non coniunctae eadem sint famulae Veneris et Minervae. In re tam difficili praeter deae insignia nihil nos iuvat. Gerhardus quidem ex iis orsus confirmavit omnes »Lasas« esse famulas Fortunae, quoniam illa essent instrumenta scribendi. Nos autem, ut in ceteris speculis illis insignibus deae hilares, Veneris comites, ostenduntur, ita deas, quae solae fictae sunt cum iisdem signis, easdem esse Veneris famulas dicimus, cum praesertim Amor quoque ea instrumenta ferat ⁵⁾ et ipse cum »Lasa« coniunctus extet in speculis ⁶⁾.

¹⁾ Gh. Ac. Abh. I., p. 330: hiernach ist es nicht unwahrscheinlich, dass Lasa Vecu ein etruskischer ausdrück der siegesgoettin sei. Num haec vera sint quis diiudicare potest? Lanzius Saggio II. p. 204 laudat Plin. 22,1: apud antiquos signum victoriae erat porrigere herbam victos.

²⁾ Idem argumentum praebet tab. 300.

³⁾ speculum mancum est.

⁴⁾ Gerhardus: »Venus, die die Lasa um das leben eines lieblings bittet«.

⁵⁾ Gh. tab. 201. — ⁶⁾ ib. tab. 255 A.

Quae
tati medica
minores, q
aliis alia n
munere fu
EΘAVSFA

Cum i
num quaer
gines exten
quidem Gra

Satis n
reptos ess
lonas²⁾; or
Etruscis. A
dicium Par
νίκοπρον το

Vasa fi
sed ita, ut
plerumque
vasis pictur
mus singula
bus servien

¹⁾ Archae
²⁾ Μολών
³⁾ Stepha
⁴⁾ Tischb
fittili II, 180.

⁵⁾ Tischb
Ancient unedit
⁶⁾ Heyde
die ant. bildw.

⁷⁾ O. Jah
— Mus. Flor.

III.

Quaestione de notione »Lasarum« absoluta alteri difficultati medicati in alteram incurrimus. Etenim non omnes deas minores, quas specula praebent, Lasas esse puto, quoniam aliis alia nomina adscripta sunt. Quaerendum est igitur, quo munere fungantur feminae ornantes ZIRNA EFAN EPIE EΘAVSFA aliae. —

Cum in speculis tot argumenta Graeca conspiciamus, primum quaerendum est, an in monumentis Graecis similes virgines extent et, si ita est, cuius generis eae sint. Primum quidem Graeca specula conferenda sunt. —

Satis notum est in Graecia non multos eiusmodi orbes repertos esse. Quos collegerunt Heydemannus¹⁾ et nuper Mylonas²⁾; omnia autem specula ab iis descripta differunt ab Etruscis. Asservatur sane Athenis speculum Graecum, quo iudicium Paridis habetur, sed de hoc adnotat Mylonas: Τὸ κάτοπτρον τοῦτο εἶνε Τυρρηνικὸν καὶ ἐξ Ἰταλίας βεβαίως εἰσαχθέν.

Vasa fictilia et gemmae plurimas eiusmodi deas offerunt, sed ita, ut ex ordine vel ex ipso habitu certa nomina dearum plerumque statui possint. Omnia speculorum argumenta ex vasis picturis anaglyphis lapidibus repetere possumus. Videmus singulares feminas alatas alabastrum gerentes³⁾, ornantibus servientes⁴⁾, speculum tenentes⁵⁾, fruges⁶⁾ vel flores⁷⁾

¹⁾ Archaeol. Zeitg. 1868, p. 77 s.

²⁾ Μολῶνας: Ἑλληνικὰ κάτοπτρα. Αθήνησιν 1876.

³⁾ Stephani: Vasens. d. k. Erem. p. 97, 351, 353.

⁴⁾ Tischbein: collection of engr. I, 47; Inghirami: Pitturi di vasi fittili II, 180.

⁵⁾ Tischbein l. l. III, 21. Inghirami: mon. etr. V, 22. Millingen: Ancient unedited mon. I, 13.

⁶⁾ Heydemann: Vasens. des Mus. naz. p. 562. Benndorf und Schoene: die ant. bildw. des Lat. p. 399.

⁷⁾ O. Jahn Vasens. K. L. n. 827, 1042. C. O. Mueller Handb. p. 612. — Mus. Flor. III, 72.

vel lyram¹⁾ umbellamve²⁾ gestantes, coronantes³⁾, saltantes⁴⁾. Hae feminae, ubi non cum aliis coniunctae sunt, nullo certo consilio fictae esse videntur, aliae ita compositae sunt, ut res ipsa ex compositione appareat.

In speculis vero res aliter se habet. Singulares quidem virgines ubi existunt nulli alii rei destinatas esse puto atque ut altera facies speculi expleatur, reliquae autem eiusdem generis deae ita conformatae sunt, ut ad paucos modo deorum mythos spectent. Cum in vasis certa nomina plerumque statuere liceat, Lasas satis habemus ostendisse ornatrices et adiutrices fuisse, neque Gratiae Horaeve neque Victoria cum ea congruunt. — Quaeritur cur hae deae etruscae in speculis fictae quippe quorum argumenta graeca sint, parum similes sint illis in vasis fictilibus expressis.

Graecos mythos Etruscis notos fuisse satis exploratum est, nec minus constat mythos quosdam corrupte traditos esse in speculis. Quae quamvis viri docti animadverterint, tamen nemodum indagavit huius depravationis origines. Mea sententia, ut brevibus dicam, specula plerumque argumenta scenica ferunt, quam opinionem hunc in modum persequor: Non desunt qui speculorum argumenta ex narrationibus fabulosis poetarum Alexandrinorum hausta esse, censeant, ut ait Kluegmannus: »Soviel ich glaube, ist diejenige literaturgattung, welche einfluss auf die bilder hatte, . . . die sogenannte idyllische, welche den spiegeln gleichzeitig ist, ich meine die kleinen epischen erzählungen der Alexandriner, und mache besonders auf Ovids metamorphosen aufmerksam.«

Quae viri docti sententia poematis ipsis refutatur, cum notissima quaeque narratio de Narcisso, Hyacintho, Daphne

1) Ann. del. inst. VIII, p. 52; Gori Mus. etr. 70; Tischbein III, 7. Helbig Wandgemaelde p. 183, 448. Arneth. k. k. Muenz- u. Ant.-Kab. p. 14. Heydemann l. l. p. 458.

2) Arneth. l. l. p. 7.

3) Mon. del. inst. V, 52. — Panofka in comm. Acad. Berol. 1851. Inghirami Pitture IV, 390. — Rossbach Röm. Hochz.- u. Ehedenkm. p. 109, 174. — Helbig l. l. p. 383. — Arneth l. l. p. 17, 84 ss. — Hettner: Die bildwerke der kgl. antikens. p. 17, 22, 108.

4) Mon. del. inst. II, 18. Zoega bassirel. p. 276.

non reperiatur in speculis. Neque magis celeberrimi amores Pyrami et Thisbae, Cinyrae et Myrrhae, Glauci et Scyllae tinguntur in speculis, qui locus esset aptissimus talibus fabulis effingendis. Omnium quos Ovidius percenset amorum tres modo in speculis reperiuntur: Plutonis cum Proserpina, Meleagri cum Atalante, Iovis cum Semele. Hi autem mythi iam pridem ubique ita pervulgati erant, ut ille rerum conexus, quem esse Kluegmannus voluit, nec verisimilis nec probabilis sit. —

Exornationes illae, in quibus Venus munus psecadis suscepisse videtur et aliae feminae eam sedentem ornant, ex imaginatione artificis oriri sane potuerunt, ut poeta Claudianus canit ¹⁾:

»Caesariem tunc forte Venus subnixa corusco
fingebat solio dextra, laevaue sorores
stabant Idaliae; largos haec nectaris imbres
irrigat. Haec morsu numerosi dentis eburni
multifidum discrimen arat; sed tertia retro
dat varios nexus, et iusto dividit orbem
ordine, neglectam partem studiose relinquens.«

Qui locus Claudiani optime quadrat ad exornationes, quae in speculis finguntur.

De ipsius Veneris exornatione permulti extant loci poetarum Graecorum. Sic illud homericum ²⁾:

Τὴν δὲ χρυσάμπυκες ἾΩραι
δέξαντ' ἀσπασίως, περὶ δ' ἄμβροτα εἴματα ἔσσαν.
κρατὶ δ' ἐπ' ἀθανάτῳ στεφάνῃν εὐτυκτον ἔδηξαν,
καλὴν, χρυσεῖην· ἐν δὲ τρητοῖσι λοβοῖσιν
ἄνθεμ' ὀρειχάλκου, χρυσοῖο τε τιμήεντος·
δειρῇ δ' ἄμφ' ἀπαλῇ καὶ στήθεσιν ἀργυρέοισιν
ὄρμοισι χρυσεῖσιν ἐκόσμεον, οἷσι περ' αὐταὶ
ἾΩραι κόσμηθεν χρυσάμπυκες. — —

¹⁾ De nupt. Hon. et Mar. v. 100 ss.

²⁾ Hymn. V, 5 ss, cf: Od. VIII, 362 ss.; XVIII, 192 ss. — Apollon. III, 46. — Callim. hymn. in lav. Pall. 31 ss. — cf. Athen. XV, p. 682, quem locum Gerhardus laudavit.

Alii ¹⁾ de exornatione simulacrorum cogitaverunt, cui rei selectae feminae praeerant. De quibus docet Apuleius ²⁾: »... Aliaeque nitentibus speculis pone tergum reversis venienti deae obvium commonstrarent obsequium, et quae pectines eburneos ferentes gestu brachiorum flexuque digitorum ornatae atque oppexum crinium regalium fingerent.« Sed secundum hos similesque locos paucae modo compositiones figurarum explanari possunt. Sed ab antiquis scaenicae quoque exornationes traditae sunt, atque ex scaena pleraque speculorum argumenta petita esse contendo hac ratiocinatione ductus:

Cum rerum etruscarum notitia adhuc in summo dubio sit, primum, ut rem via et ordine peragamus, ostendendum est illo tempore Etruscos ludis scaenicis ita deditos fuisse, ut nil impediatur ne specula talibus argumentis ornata esse censeamus, deinde, argumentis ipsis nos cogi de speculis cogitare. —

Mundum cultumque muliebrem et exornationes in scaenam productos esse traditum est. In *Mostellariae* Plautinae scaena tertia actus primi exornatio feminae oculis proponitur, et Athenaeus tradit ³⁾:

Σοφοκλῆς δ' ὁ ποιητὴς ἐν Κρίσει τῷ δράματι ⁴⁾ τὴν μὲν Ἀφροδίτην, Ἡδονὴν τινὰ οὖσαν δαίμονα, μύρω τε ἀλειφομένην παράγει καὶ κατοπτριζομένην.

Nec tamen ex tragoedia neque ex comoedia, sed ex saltatione mimica speculorum argumenta orta esse puto.

¹⁾ C. O. Mueller *Etr.* II, 260. — cf. G. G. A. 1828, p. 871: »Eher moechte ich noch, wenn die convexitaet keinen wirklichen gebrauch gestattet, an spiegel denken, die zum putze der goettinnen, wie im capitolinischen dienst gebraucht wurden.« Ne haec quidem condicio accipienda est, nam primum non intellego quare ad dearum exornationem peculiaris specula adhiberi oporteat, deinde feminae convexis discis usae et in speculorum et in vasorum argumentis extant.

²⁾ Apul. *Met.* XI, p. 244. — cf. Sen. *ep.* 95. — August. *c. D.* VI, 10. — Tert. *de ieiun.* cap. 16.

³⁾ Athen. XV, p. 687 c.

⁴⁾ Hoc drama satyricum fuisse docet Welckerus in appendice ad librum de trilogia p. 305.

Quo tempore primus mimus Romae actus sit, parum comperimus et hucusque in contentione est. Osannus quidem contendit ¹⁾ hoc factum esse initio quinti urbis saeculi, Mommsenus ²⁾ tempore Sullae, Martinus Hertz denique docet ³⁾ mimos cum Atellanis antiquitus Romae actos esse. Sed ut res se habet, nemo negabit tempore quod vocamus alexandrinum mimum vel saltationem mimicam apud Etruscos fuisse usitatam. Cuius rei gravissimus testis Livius est, qui dicit ⁴⁾ a. u. 393 deos placandi causa saltatores Etruscos Romam arcessitos, qui »ad tibicinis modos saltantes haud indecoros motus more tusco dabant«. Sequitur quo tempore pleraque specula orta sunt, saltationem apud Etruscos iam floruisse, nec saltatio modo, sed ipse pantomimus, nam verba Liviana docent histriones »sine carmine« saltavisse. Quae res cum summi momenti sit, paulo uberius hunc locum Livianum tractemus.

Verba tradita Welckerus ita interpretatus est, ut diceret ⁵⁾ carmina ab histrionibus ommissa esse, quod Romani sermonis Etrusci ignari fuissent; sed cum C. O. Muellero ⁶⁾ consentio vix credi posse Etruscos, qui tam religiose omnia ludorum instituta observassent, sermonem omisisse. Welckerus quidem l. l. opponit, si illae Etruscorum saltationes nil fuissent, nisi pantomimi, Romanos mox imitatuos fuisse, sed conferas alium locum Livianum VII, 2, 8 ss.:

»Livius (scil. Andronicus) post aliquot annis, qui ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere, idem scilicet, id quod omnes tum erant, suorum carminum actor, dicitur, cum saepius revocatus vocem obtudisset, venia petita puerum ad canendum ante tibicinem cum statuisset, canticum egisse aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis usu impediēbat.«

Quem locum si cum altero illo contuleris, non negabis principia pantomimi iam tum Romae si non exulta, saltem

1) Jahnii ann. 73, p. 662. — 2) Roem. Gesch. III², p. 574 adn.

3) Jahnii ann. 93, p. 582.

4) Liv. VIII, 2, 4 ss. — cf. Val. Max. II, 4, 4; Tac. Ann. XIV, 21.

5) Welcker: Die griechischen Tragoedien, p. 1341.

6) Etr. II, p. 215. — 8) De reb. pnn. VIII, 66.

capessita fuisse. Cum autem Romani imitarentur ludos Etruscorum, hos in arte saltandi plus profecisse verisimile est; cuius generis saltatio Etrusca fuerit, Appianus docet qui agit¹⁾ de pompa in imitationem Etruscarum ita instituta, ut saltator quidam gestibus ac vultu cavillationem hostium fingeret. Non erramus igitur, si putamus simillimam fuisse saltationem illam pantomimis, qui post Ciceronis memoriam Romae persaepe exercebantur summa cum voluptate spectatorum²⁾.

Ex talium saltationum mimicarum imitatione argumenta speculorum orta sunt. Inter eos enim mythos, quos spectantibus proponere saltatores solebant Lucianus hos enumerat³⁾: Σεμέλης κατάφλεξιν καὶ ὅσα περὶ Ἀθηνᾶς καὶ Ἀγαμέμνονος σφαγὴ καὶ Κλυταιμνήστρας τιμωρία, τὸν Πάριδος ξενισμὸν καὶ τὴν Ἑλένης ἀρπαγὴν καὶ τὴν ἐπὶ τῷ μήλῳ κρίσιν⁴⁾ καὶ Ἡρακλῆς σὺν τοῖς ἀθλοῖς καὶ τὸν τοῦ Περσέως ἐπὶ τὰς Γοργόνας ἀθλον, καὶ τὸν Μελέαγρον⁵⁾, τὴν Αταλάντην καὶ Ἡρακλέους τὸ καρτερόν, καὶ Ἀφροδίτης τὸ ἀβρόν δεικνύει τὸν Αἴαντα⁶⁾ κτλ.

Omnes hi dii heroesque in speculis repetiti sunt, imprimis Venus et qui cum eius mythis cohaerent: Helena et Castores, de quibus pantomimis saepissime actos esse Apuleius tradidit, cum verba faceret de iudicio Paridis a saltatoribus repraesentato⁶⁾: »Erat mons ligneus, ad instar incliti montis illius, quem vates Homerus Idaeum cecinit . . . consitus vi-

1) De reb. pun. VIII. 66.

2) Luc. de saltat. 79: Ἡ μὲν Βακχικὴ ὄρχησις (quae eadem saepe invenitur in discis) καίτοι σατυρικὴ ὄδσα ὁῦτως κεχέρωται τοὺς ἀνθρώπους, ὥστε κατὰ τὸν τεταγμένον ἕκαστοι καιρὸν ἀπάντων ἐπιλαθόμενοι τῶν ἄλλων κάθηται δι' ἡμέρας, Τιτᾶνας καὶ Κορυβάντας καὶ Σατύρους καὶ βουκόλους ὀρῶντες. — cf. Grysar in commentt. Acad. Vindobon. 1854¹, p. 244.

3) Luc. de saltat. c. 39, 41, 45, 50, 83.

4) Tert. Apolog. 15: Sed et histrionum litterae omnem foeditatem eorum designant, et sustinetis Junonem Venerem Minervam a pastore iudicari.

5) Athen. IX, p. 402 b adnotat Sciram poetam τῆς Ἰταλικῆς καλουμένης κωμωδίας de Meleagro egise.

6) Similia pantomimorum argumenta leguntur Arnob. VII, 33; Macrobr. Sat. II, 7. — cf. Augustinus de civ. Dei VII, 26.

6) Apul. Met. X, p. 232 s.

retis et vivis arboribus . . . de manibus fabri fonte manante, fluviales aquas eliquans. Capellae pauculae tondebant herbulas, et in modum Paridis Phrygii pastoris barbaricis amiculis humeris defluentibus pulchre indusiatus adolescens, aurea tiara contecto capite peculiarium simulabat ministerium. Adest luculentus puer nudus, nisi quod ephebica chlamyde sinistrum tegebat humerum, flavis crinibus usquequaque conspicuus, et inter comas eius aureae pinnulae cognatione simili sociatae prominebant, quem caduceum et virgula Mercurium iudicabant. Is saltatorie procurrens malumque bracteis inauratum dextera gerens ei qui Paris videbatur porrigit, quid mandaret Jupiter, nutu significans. . . . Insequitur puella vultu honesta, in deae Iunonis speciem similis, nam et caput stringebat diadema; ferebat et sceptrum. Irrupit alia, quam putares Minervam, caput contecta fulgenti galea . . . clypeum attollens et hastam quatiens et qualis illa cum pugnat. Super has introcessit alia visendo decore, et praepollens gratia coloris ambrosii, designans Venerem qualis fuit Venus, cum fuit virgo, nudo et intecto corpore perfectam formositatem professa, nisi quod tenui pallio bombycino inumbrabat spectabilem pubem. Quam quidem laciniam curiosulus ventus satis amanter nunc lascivius reflabat, ut dimota pateret flos aetatulae, nunc luxurians aspirabat, ut adhaerens pressule membrorum voluptatem graphice liciniaret ¹⁾. . . . Iam singulas virgines, quae deae putabantur, sui comites obibant, inter quos Apuleius laudat Castores. Ex verbis Apulei haec colliguntur:

I. Iudicium Paridis pantomimus erat, qui saepius actus esse videtur; saepissime autem in speculis Etruscis hoc argumentum repetitur.

II. Ars scaenica eleganter et subtiliter excolta tantum processerat, ut ne unum quidem speculum de saltatione mimica cogitare nos vetet.

III. Venus nuda saltabat in pantomimo, ut ipsa et aliae feminae in speculis.

¹⁾ Ludi tam impudici, quales apud Apuleium scriptos legimus, non Caesarinaiis temporibus primi agebantur, sed antiquitus ludis floralibus divina obscaenis commisceri mos erat. Grysar l. l. p. 271 ss. cf. Tert. de spect. 17. — Kannegiesser: Die alte komische Buehne zu Athen p. 134.

Praeterea hoc loco Apuleiano lux affertur rei adhuc obscurae. Persaepe enim in speculis, ubi iudicium Paridis nobis proponitur, extant Castores qui quare adessent nemodum quaesivit praeter. C. Friederichs qui l. l. p. 65 dicit: »Das ineinanderspielen verschiedener vorstellungen zeigt deutlich die sorglose weise, mit der die spiegelbildner arbeiteten«. Verba Apulei docent in pantomimis iudicio Paridis Castores adfuisse. Concedo haec veterum de pantomimis testimonia non Etruscos sed Romanos potissimum attingere, sed ex his coniecturam facere licet de Etruscis, nam, ut diximus, iam a. u. 393 saltatio eorum celebris fuit, plurima autem specula uno vel duobus saeculis post orta sunt, et multo ante hoc tempus Etruscorum luxuriam a scriptoribus vituperatam esse legitur apud Athenaeum ¹⁾. Sin vero negas eo tempore artem saltatoriam apud Etruscos adeo excultam fuisse, aliud testimonium in promptu est. Xenophon enim saltationem describit ²⁾, qua nuptiae Bacchi et Ariadnae tam vere celebrantur, ut omnes qui aderant suavissime afficerentur.

Quae saltatio si Socratis aetate Athenis facta est, non audax est coniectura, Etruscos, qui eorum summus usus erat cum Graecis, hanc artem centum fere annis post excultam habuisse.

Romae etiam bello punico secundo saltatio tam perfecta erat, ut ludi saltatorii a civibus Romanis, et viris et matronis, summo cum studio frequentarentur. Hunc nuntium debemus Macrobio, qui (II, 10) ³⁾ haec tradit: »Inter duo bella punica filii senatorum in ludum saltatorium commeabant et illic crotala gestantes saltare discebant« . . . et paullo post »Scipio Africanus . . . in oratione contra legem iudiciariam Tiberii Gracchi sic ait: docentur praestigias inhonestas; cum cinaedulis et sambuca psalterioque eunt in ludum histrionum. Discunt saltare, quae maiores nostri ingenuis probro ducier voluerunt. Eunt, inquam, in ludum saltatorium, inter cinaedos virgines puerique ingenui. Cum ductus sum in ludum saltatorium, plus medius fidius in eo ludo vidi pueris libidinibusque quingentis«.

¹⁾ Athen. XI. p. 517. — ²⁾ Xen. symp. c. 2 ss. — ³⁾ cf. Macrob. Sat. III, 14.

Quodsi Romani tantopere saltationibus dediti erant et cupide saltationes pantomimicas, quas receperant ab Etruscis, spectabant, confiteberis fieri potuisse ut argumenta, quae ficta videmus in speculis, saltatione mimica exprimerentur. —

Restat ut ostendam in speculis argumenta scaenica vere proponi. —

Compositiones, quae in speculorum figuris saepe reperiuntur simillimae, vix ex unius operis ficti imitatione fluxerunt, namque ea unius *speculi* tanquam apographa esse non credo, quia vilia erant specula et rudes eorum figurae; sin autem essent alius cuiusdam operis, quod et quale est exemplum primum? Hae compositiones originem duxerunt ex spectaculis vel potius saltationibus mimicis, quae persaepe repetitae spectantibus proferebantur; satis enim notum est Etruscos iis magnopere deditos fuisse ¹⁾.

Ad haec in universum dicta aliae accedunt causae: Nulla enim re nisi theatri celebritate refertissimis increbrescere potuit genus fingendi tam obscaenum, ut non modo feminae plerumque nudae adumbrarentur, sed etiam — id quod in ceteris artis generibus fere nunquam fit — cunnum muliebrem fere in omnibus feminis nudis expressam videamus. Quod nemo artifex ausus esset facere, nisi virgines, quae talibus speculis utebantur, alibi similia vidissent. Nusquam autem — etsi feminae liberius vixisse videntur — tam obscaena conspiciebantur nisi in ludis publicis.

Nam quamquam Etrusci tantopere se dederant luxuriae libidinibusque, ut cenantibus — ut exemplum promam — nudae feminae ministrarent ²⁾, non tamen est ex hoc turpi virorum usu, qui nempe non palam exercebatur, colligere licet, corruptionem tantum profecisse, ut artificibus concubitum et similia obscaena virginibus proponere liceret; omnia autem haec in scaenam producta esse queruntur scriptores ecclesiastici.

¹⁾ Idem probatur reliquiis theatrorum et amphitheatrorum quae permulta in Etruria adhuc extant. cf. Mueller Etr. II, p. 243. Picturae sepulcrorum praebent histriones cum habitu saltatorio, Bull. del inst. 1873, p. 75, p. 202. cf. Bull. 1878, p. 185. — Personae scaenicae in sepulcris permultae reperiuntur. Bull. 1865, p. 166. — Bull. 1878, p. 181.

²⁾ Theopompus apud Athen. XII, p. 517.

Velut Cyprianus de gratia p. 6 »Adulterium discitur dum videtur, et lenocinante ad vitia publicae auctoritatis malo; quae pudica fortasse ad spectaculum matrona processerat, de spectaculo revertitur impudica«, et Lactantius in epit. ad Pent. 63: »Histrionum impudici gestus, quibus infames feminas imitantur, libidines quas saltando exprimunt docent«...; et in libro de iustitia XXI, 12 idem ait: »cum deos colere se dicant, tamen eos turpiter publice derident, de quibus etiam mimos agi cum risu et voluptate patiuntur«. Tam exiguus erat numerus eorum qui turpi adspectu abstinebant, ut Valerius Maximus imprimis Massilienses laudet, dicens (II. 7, 6): »Massiliae severitatis custos acerrima est nullum aditum in scaenas mimis dando, quorum argumenta maiore ex parte stuprorum continent actus, ne talia spectandi consuetudo etiam imitandi licentiam sumat«.

Si singulas compositiones spectamus, maxime me iuvat, quod Deeckius animadvertit¹⁾. »Auf etruskischen wandgemaelden erscheinen nur die hetaeren und taenzerinnen in leichte durchscheinende gewaender gekleidet; die dienerinnen sind durchweg zuechtig verhuellt«. Hoc insigne documentum, me vere de origine argumentorum iudicasse: Quoniam in speculis feminae nudaee existunt, saltatrices vel actrices pantomimorum²⁾ habendae sunt, cum meretrices propter nomina adscripta putari non possint. Inde fit ut feminis multo saepius quam Amoribus, quos plurimos vasa offerunt, occurrimus, cum spectatores libidinosi magis adspectu nudaee puellae quam pueri moverentur. — In iis vasis fictilibus, quae maiore cum luxu ornatae sunt, persaepe apparent iuvenes alati tam molles, ut fere Hermaphroditi esse videantur, quem morem Etrusci, praesertim cum locus ipse invitaret, sine dubio imitati essent. Rem miram dilucidare non potes nisi mecum de ludis cogitas. In speculis locus non dabatur imaginibus excogitatione fictis, quoniam eorum argumenta ex scaena sumpta erant.

Mirum in modum fons imaginum, quibus specula ornata

¹⁾ Muelleri Etrusker I, p. 254. — cf. Dennis, p. 196.

²⁾ Ad quarum habitum tutulus pertinet. cf. Bull. 1873, p. 75. — 1878, p. 185.

sunt, illustratur orbibus Etruscis cum Praenestinis, quae sunt similia, comparatis. Haec saepius praebent Amores volantes taenias gerentes vel alia argumenta vasorum picturis accommodata; in iis autem speculis, quae ex Etruria prodierunt, talia argumenta fere nusquam conspicimus. In speculis vere Etruscis semel modo Amor volans adest compluribus personis compositione coniunctis. Sed et aliud discrimen extat, quod viros doctos fugisse videtur: In speculis Praenestinis incompositos inordinatosque homines et beluas commixtos saepe cernimus, velut in venationibus similibusque argumentis¹⁾, in Etruscis autem ea est compositio, quae non impediatur quominus de scaena cogitemus. Ex hac diversitate speculorum efficitur me rectam ratiocinationem iniisse; nam consentaneum est, in illa urbe saltationes proprie Etruscas non tanti ponderis fuisse, ut ad argumenta speculorum fingenda vim habuerint, et ne in uno quidem speculo Praenestino permulta illa signa disposita sunt, quibus ut infra docebimus, scaena indicatur in speculis Etruscis. Qua re discimus artificem magnopere operam dedisse ut in his motum saltatorium consulto exprimeret, praesertim cum ceteris in rebus specula plerumque rudia sint. Hunc usum artificum si respexeris, intelleges, quare Graecorum speculorum argumenta tantopere differant ab Etruscis: Graeci mythi tam crebri erant, ut non opus esset ad fabulas salticas confugere; illi id potissimum finxerunt, quod loco maxime aptum erat: Amores et res amatorias.

In multis speculis conspiciuntur feminae indutis soccis comoediarum sive pantomimorum calceolis²⁾ cum mundo muliebri, ceterum nudae, neque quisquam hunc mirum usum dilucidare conatus est. Apud Valerium Maximum, qui narrat³⁾ in ludis floralibus mimas poscente plebe vestes deposuisse, causam illius rei invenies: mimaie tunicas non cinctas facile abiecerunt, ita ut socci unum esset vestimentum praeter mo-

¹⁾ Gerhard Etr. Sp. tabb. 304, 329, 331 alibi.

²⁾ Grysar in Commentt. Ac. Vind. 1854, p. 271: »Unter den fuessen trugen sie eine ganz duenne kaum sichtbare sohle, oder einen leichten und wenig ueber den rand des Fusses hervorragenden schuh«.

³⁾ II, 10.

nilia et armillas. Accedit quod saltatricibus calceoli ex usu erant inter saltandum¹⁾.

Priusquam singula specula ad comprobendam sententiam nostram perlustremur, liceat mihi pauca disserere de re, quae quamvis huc non pertineat, tamen gravissima est atque summi ponderis; sunt Castores, qui persaepe in speculis Etruscis inveniuntur bini sibi oppositi. Castores esse hos iuvenes credimus viro doctissimo Friederichs, non ob stellas ab illo laudatas, sed propter alas hic illic eorum humeris infixas. Mirati sunt viri docti, quid sibi velint hi viri armati in speculis, quae luxui fuerint. C. Friederichs ait p. 63: »Wir wissen nicht, was fuer ein grund dieselben fuer die spiegelzeichnungen — denn in der sonstigen etruskischen kunst erscheinen sie nur selten — so empfehlenswert gemacht habe; jedenfalls waren sie ein geeigneter Stoff fuer die verzierungsweise, zwei verwandte figuren symmetrisch einander gegenueber zu stellen«. Sit ita, sed mea quidem sententia artificibus Etruscis permulta alia atque meliora argumenta praesto erant quam armati iuvenes. Si mecum stas, causam facile videbis. Etrusci enim ludis gladiatoriiis primi omnium utebantur²⁾, atque in picturis sepulchralibus saltatores armati haud raro adumbrati sunt³⁾. Accedit quod Valerius Maximus II, 4, 4 histriones Etruscos Curetes nominat. Si denique reputas saltandi quoddam genus nomen traxisse a Castoribus⁴⁾, non dubitabis, quae causa fuerit cur Castores tam saepe in speculis nobis proponantur.

Haec in universum dicta comprobantur singulis speculis comparatis:

Homines ubi complures coniuncti sunt in speculis, fere omnes acriter gestus componunt, nonnunquam tam acriter, ut

1) Forma calceolorum longe distat a Furiarum aliarumque feminarum quae cernuntur in picturis sepulchrorum. Feminae nudaee in speculis eosdem calceolos gerunt ac saltatores mimici cf. Gori Mus. Etr. tab. 186.

2) Athen. IV, p. 153.

3) Mueller Etr. II, p. 218 adn. 87.

4) Lucian. de saltat. 10: Λακεδαιμόνιοι μὲν ἄριστοι Ἑλλήνων εἶναι δοκῶντες, παρὰ Πολυδεύκουσ καὶ Κάστορος καρνατίζειν μαθόντες (ὀρχήσεως δὲ καὶ τοῦτο εἶδος, ἐν Καρύαισ τῆς Λακωνικῆς διδασκόμενον) ἅπαντα μετὰ μουσῶν ποιῶσιν.

alio modo
quod par
tionem hi
saltatio pro

Acced
premo Sat
hos in vas
tatio fit c
seriem coa
inter se op
sed maiore
signis baco
ipsum salt

Dea
XEPLVN

invenire n
gunt de p
publici iur
deus eoden
comoediis
atque barb
fulminis m
tibiis caner
agentibus e
indicatur t
nente Saty

Saepe,
pariete fixa
nostram de

1) Gh.

4) Liv.

5) Comp

qua re perm

ΦΥΦΛVNS e

tus a mimis

illecebrasque

6) Scaer

Theatergebaeu

Suppl. A. —

alio modo ac per gestus colloqui non potuisse videantur, id quod pantomimum monstrat, praesertim cum Dionysius saltationem histrionum Etruscorum sicinnidem nominet, quae erat saltatio protervorum Satyrorum et multis cum gestibus agebatur.

Accedit saltatio ipsa in speculis persaepe ficta. Non idipso Satyros et Bacchas saltantes plurimos fictos esse, nam hos in vasis quoque et anaglyphis cernimus, sed in his saltatio fit cum effusa licentia et ita, ut in unam plerumque seriem coacti bacchentur; in speculis autem viri et feminae inter se oppositi saltant, neque modo bacchanalia saltantur, sed maiores extant compositiones feminarum saltantium, quae signis bacchicis carent¹⁾, atque vero feminae inter ornandum ipsum saltant²⁾.

Dea Munthu, quam ornatricem novimus, cum Satyro XEΦLVN saltat³⁾, cuius re causam nisi per ludos scaenicos invenire non possumus. Deinde compositiones ipsae nos cogunt de pantomimis cogitare: Gerhardus tab. 81, 2 speculum publici iuris fecit, quo Iupiter Semelem complectitur; ibi deus eodem habitu est, quem Arnobius adv. nat. VI, 25 in comoediis mimisve productum describit: »Ricinatus Iupiter atque barbatus, dextra formitem sustinens, perdolatum in fulminis morem . . . «. Deo Semelen amplexo adest Satyrus tibiis canens; scimus autem in pantomimis unum Satyrum agentibus concinisse⁴⁾. Non minus conspicue saltatio scaenica indicatur tab. 83, ubi Bacchus cum Semele iocatur⁵⁾ concinente Satyro, et tab. 308.

Saepe, ubi res sub divo agitur, instrumenta varia in pariete fixa videmus, quae res haud neglegenda coniecturam nostram defendit⁶⁾. Etenim ut scaena significetur, hic illic

1) Gh. tab. 274, 2. — 2) Gh. tab. 314. — 3) Gh. tab. 314.

4) Liv. l. l. — cf. Wieseler, Satyrspiel p. 44 ss.

5) Compositio mira est, nam Bacchus resupinatus amplectitur Semelen, qua re permotus C. Friederichs de Niobes liberis cogitat, sed nomina ΦVΦLVNS et SEMLE nos vetant eum sequi. Habitus ex composito ascitus a mimis excogitatus erat, ut spectantibus novas quasdam voluptates illecebrasque praeberet.

6) Scaena taeniis coronis speculis suspensis ornabantur. — cf. Wieseler Theatergebaeude tab. III, 18; IV, 9, VI, 1, 10; IX, 9, 10, 12, 14, 15. Suppl. A. — Arch. Zeitg. 1855, tab. LXXVII.

personae scaenicae fixae sunt, ut tab. 82, in qua partus Bacchi proponitur, et tab. 212, quae ornationem praebet; praeterea personae cernuntur tab. 87 = 305, 122, 207A, 254A1, 337¹⁾.

Saepe Satyri adiecti sunt, ubi res non poscit, cuius rei artifex vix aliam causam habuit atque ut spectantes scaenae reminiscerentur²⁾. Loci sunt hi:

Tab. 108 tres feminae lavantur; seorsum extat Satyrus. Hic non agitur de lavacro virginum a Satyro oppressarum, nam lavantur domi, non ad fontem, sed ad solium; itaque hoc quoque speculum ad ludum spectare mihi videtur.

Tab. 391 A. Duo pueri³⁾ se defendunt a magno anguine prorumpente; in extrema scaena rupes, de qua Satyrus cum Baccha prominet.

Tab. 323. Pone duos amantes pulpitem, supra quod Silenus apparet.

Tab. 350. »Iuno cum Tyronis filiis«, ut ait Gerhardus. Quid Satyro, qui iterum in extrema scaena conspicuus est, cum Tyronis filiis⁴⁾?

Tab. 74. Bacchus et Ariadne, iuxta quos HELENAIA saltat alabastrum vibrans. Hic quoque non sufficit de mythis cogitare, nam nusquam narratur Helenam coram Baccho saltavisse. In mimis sane facillime potuit fieri, ut Helena, pulcherrima femina, cum Ariadne Bacchoque iungeretur.

Nec minus perspicuum est aliud speculum ab Helbigio brevibus verbis declaratum⁵⁾, in quo Silenus cum caduceo virgini alicui appropinquat coronam in manibus gerens. Caduceus et corona in manibus Sileni offendunt nos; *παρωδία* scaenicam subesse pro certo habeo.

Postremo in multis speculis scaena ipsa, ni fallor, indicata est. Permulta enim specula ea re differunt a vasis, quod homines in limite aliquo vel linea maeandro ornata stant, quam

1) Accedit speculum a Brunnio in Bull. 1865, p. 247 descriptum et vaticanum, quod commemorat Gerhardus Acad. Abh. II, p. 294 n. 224.

2) Similia in comoedia facta esse docet Wieseler Theatergeb. tab. IX, 13.

3) Vel, ut Gerhardus mavult, Apollo et Artemis.

4) Ad haec exempla accedit speculum in Mon. del inst. VIII, tab. XIV, 3 editum.

5) Bull. 1869, p. 68.

λογοίον sig.
ubi super
Quid hic r
comproban
maeander
est, in P
enim *λογοίον*
Maeander
est, in iisd
scaena extr
turis cogn
portas hab
scaenam fe
mento tabu
homines se
sunt. Nil o
machinam
In multiis
hardus tem
sunt, quaru
loquor de
sitionibus p
est. Ubi eo
esset rupes
quod quate
suspicio, fe
Tab. 40
cum totum
1) Ut in
tab. 77.
2) Wiese
3) Gh. t
4) Idem
Friederichs p.
perspectivisch
invenies duos
positus est, ut
5) Gh. t
243; Bull. 18

λογεῖον significare¹⁾ concedes collatis speculis tabb. 336 et 37, ubi super maeandro efferuntur saxa, in quibus homines sedent. Quid hic maeander significat nisi scaenam? Hac eadem re comprobantur etiam quae antea de speculis Praenestinis dixi; maeander enim, qui sescenties in speculis Etruscis ductus est, in Praenestinis vix semel bisve extat; Praenestini enim λογεῖον non fingeant, quia ludi iis minus noti erant. Maeander similis ei, qui in speculis Etruscis infra ductus est, in iisdem supra quoque conspicitur. Tali autem modo scaena extrema theatri exornata erat, quod ex vasorum picturis cognoscimus²⁾. Noli mihi opponere scaenas antiquas tres portas habuisse, nam in iis quoque vasis, quae sine dubio scaenam ferunt, saepe portae desunt. Hic illic pro illo lineamento tabulatum vel pulpitem exstructum est, supra quod homines sedent³⁾, quam rem viri docti exponere non conati sunt. Nil obstat ne hoc tabulatum θεολογεῖον vel aliam similem machinam esse putemus⁴⁾, qua declaratione nodus expeditur. In multiis aliis speculis⁵⁾ idem cernitur θεολογεῖον, quod Gerhardus templum putat. Mirum est quod certae modo imagines sunt, quarum in extrema scaena talia aedificia exstructa sunt; loquor de Castoribus et de iudicio Paridis, quibus in compositionibus plerumque templum vel potius θεολογεῖον additum est. Ubi eo magis res perspicua est, quod multo aptior templo esset rupes vel alia ad actionem quadrantia. Notabile est, quod quater super illo lineamento, quo scaenam indicari suspicor, feminae existunt:

Tab. 402 est femina alata cum balsamario stiloque ficta; cum totum argumentum nondum explanatum sit, non liquet

1) Ut in vasorum picturis, ubi scaena ostenditur, Arch. Zeitg. 1855, tab. 77.

2) Wieseler Theatergeb., tab. III, 18.

3) Gh. tab. 103, 315 A.

4) Idem θεολογεῖον cernimus Gh. tab. 206, ad quod speculum adnotat Friederichs p. 81: »Im hintergrunde eine saeulenhalle, die der zeichner perspectivisch darzustellen versucht hat«. Sed si accuratius rem inspexeris invenies duos esse ordines columnarum, quorum alter super altero ita impositus est, ut paululum recedat; hoc ergo quoque loco θεολογεῖον cernitur.

5) Gh. tab. 84 ss. cf. Acad. Abh. II, p. 310 s. — Bull. 1865, p. 243; Bull. 1870, p. 153.

quid sibi velit haec femina. tab. 398 super lineamento Venus extat ¹⁾ vecta quattuor equis; in ipso speculo MENLE i. e. Menelaus Helenam transfixurus est. Venus advenit tamquam dea ex machina, ut dilectissimam heroinam servet. tab. 378 apparet femina similiter quattuor equis vecta, cum Menelaus in Cretam profecturus est. Hic quoque Venus cognosceretur dea ex machina, suo tempore advolans ut Menelao cunctanti persuaderet, si nomen TVRAN quod legitur, ad hanc feminam referendum esset, quod fieri posse mihi ipsi verisimile non videtur. —

Cum his coniungendum est speculum a comite Conestabile descriptum ²⁾: Helena circumdata est a fratribus suis; scaena secluditur aedificio, quod constat ex epistylis tribus columnis ionicis fulto. Supra epistylum prominent duo equorum capita, inter quae dea, cuius nomen AVR legitur. Haec lineamenta Conestabilis initium nominis Aurorae esse putat. Sed cum respexeris nomina Etrusca ELINEI KASTVR PVLTVKE, mecum consenties legi non posse vocem Latinam Aurorae, utpote cuius nomina Etrusca sint VSIL et OESAN; equidem persuasum habeo non AVR, sed TVR legendum esse, ut TVRAN facile suppleamus.

Iis quae nunc exposui de dea quater supra maeandrum apparente nos magis ad veritatem adduci spero quam interpretationibus virorum doctorum, qui antea de hac re dissererunt: Gerhardus enim dicit ³⁾ dea supra apposita significari numen deorum fata humana observantium. Reinoldus Kekulé putat ⁴⁾ artificem talia finxisse »guidato da ragioni artistiche, vuo dir ornamentali«. Haec quoque viri sagacissimi explanatio non sufficit, cum specula doceant artifices spatium quod vacabat longe alia ratione explevisse. Si mecum stas, facile in-

¹⁾ Brunn. Bull. 1865, p. 245 censet hanc deam Auroram esse. Me quidem iudice nomen TVRAN sinistra manu scriptum feminae advectae subiungendum est. Si nomen eius feminae esset, cuius caput pone Helenam conspicuum est, miror Venerem immotam iuxta Helenam amatissimam stare, quae in eo est ut interficiatur. Immo advolat dea, ut illam servet.

²⁾ Bull. 1869, p. 49.

³⁾ Gh. Etr. Sp. vol. IV, p. 53.

⁴⁾ Annali 1866, p. 400.

telleges in pantomimo praesentia deae in θεολογείον prorumpentis spectatores perquam delectatos fuisse. Imprimis vere scaena indicata est tab. 355 operis Gerhardiani. Complures heroes colloquuntur a quorum tergo murus apparet ornatus columnis. Supra quem tholus concameratus est ¹⁾; Gerhardus quidem murum et tholum templi esse vult, sed et ipse templum cur cum heroibus coniungat non habet. Ego hunc murum tholumque significare velim extremam scaenam, qua de re omnis dubitatio tollitur *aulaeo*, quod in prima scaena cernimus remissum.

Omniū speculorum quae adhuc tractavimus argumenta ex mythis repetita sunt. Mirum est perpaucas speculorum imagines de vita hominum communi sumptas esse. Res ipsa loquitur: Etrusci nisi in compositionibus orbium scaenam secuti essent, saepius, ut erant eorum mores, commissationes vel comotationes vel similia expressissent, qualia argumenta in picturis Etruscis persaepe inveniuntur ²⁾. —

Dixerit aliquis: Qui fit ut pantomimorum tua sententia apud Etruscos usitatissimorum nec *vola* nec *vestigum* apud veteres auctores appareat?

Primum consentaneum est pantomimorum non totum qui vocatur textum sed dispositionem cursumque modo descriptos esse ³⁾; deinde vero non desunt certa vestigia, quamquam rara: Tertullianus de pantomimo quodam agit, ad quem iam Cavedonius speculi alicuius repraesentationem rettulit ⁴⁾. Tertulliani verba haec sunt ⁵⁾: »Risimus Mercurium mortuos cauterio examinantem«, et alibi ⁶⁾: »Risimus et meridiani ludi de diis lusum, quod Ditis pater Iovis frater gladiatorum exsequias cum malleo deducit; quod Mercurius in calvitio pennulatus ignitulul corpus exanimata e cauterio probat«. — His verbis mirum in modum lux affertur speculo Gh. tab. 57, ubi iam Satyrus loco minime aptus ludum indicat. Mercurius cum

¹⁾ Idem tholus apparet tab. 300, 2.

²⁾ cf. Deecke ad Muelleri Etr. II, p. 270 s.

³⁾ Quales fuerint »fabulae salticae« quas commemorat Vacca in vita Lucani, parum perspicuum est.

⁴⁾ Bull. 1864, p. 239. — ⁵⁾ Apolog. 15. — ⁶⁾ ad nat. I, 10. —

calvitio pennulato¹⁾, dextera scipionem gerens, tangit iuvenem humi iacentem. Hoc argumentum antea obscurum illustratur loco Tertulliano. Qui loquitur de ludo gladiatorio Romano, is ludus autem de Etruscis sumptus erat²⁾. —

Est fortasse qui mihi non adstipuletur eam ob rem, quod deae Etruscae Lasae in speculis saepe finguntur, cum ex urnis cognoscatur, in ludis scaenicis fabulas sincere *Graecas* prolatas esse. Sane, concedo, sed quid inde efficitur? Saltationes quidem Etrusci non a Graecis acceperunt, sed antiquitus excoluerunt vernaculas, et vernaculi mythi saltabantur; deinde, cum mythi Graeci praevalerent, confuderunt Etrusci nova vetustis, praesertim cum Graeci non haberent deam tantae gravitatis quantae Lasa erat. Tragoediae erant vere Graecae, pantomimi autem praebebant mythos Graecos Etruscis commodatos.

Hactenus ostendere studui ludos publicos aliquid momenti habuisse ad argumenta speculorum eligenda. Alas permultis feminis infixas consulto praetermisi silentio, nam res nullius momenti est. Cum Etrusci deabus et diis compluribus alas inderent, in ludis scaenicis idem fieri oportuit. Ceterum notum est artifices Etruscos saepe alas diis ex arbitrio attribuisse, ubi causam invenire non possumus.

Nominum dearum adscriptorum rationem non habui, quod ne minimum quidem de vi horum nominum notum sit. Unus Corsenus omnia haec nomina explanare conatus est; seu falsa seu vera invenit, nihil ad rem; nos eius opera nihil proficimus³⁾. Sin censes eum vera docere, haec res ratiocinationem meam probat, nam nomina ex scaena sumpta sunt atque significant officia singularum feminarum. —

Conspicuum est singulis feminis nunquam nomina attributa esse. Res sane obscura ac difficilis est; cum iam in aliis compositionibus totiens nomina legantur, puto non fortuito factum esse ut artifices in singulis feminis omiserint nomen, vel nomen mythologicum illis feminis non convenire. Sunt hae feminae, ut in vasis fictilibus, inania ornamenta, sunt deae herodesve, sed nomen iis indere nec nos possumus neque artifex indere voluisse videtur.

1) Aliter Friederichs p. 81. — 2) Val. Max. II, 4, 7.

3) cf. huius diss. p. 2 s.

Haec sunt, quibus adductus actiones scaenicas in speculis repetitas esse suspicor. Quae causae cum tot tamque graves sint, non licet acquiescere in verbis viri doctissimi Koerte, qui de speculo quodam dicit ¹⁾: »come tante volte to stesso artista non ha pensato ad un certo soggetto mitologico«, et similiter comes Conestabile in alio speculo cognoscit »scena di genere« ²⁾. — Neque magis Furtwaenglerus difficultates expedivit cum diceret ³⁾ imagines speculorum ex imitatione vasorum ortas esse. De una saltatione cogitare conducit. Ac vero mirum esset, nisi pantomimi aliquantum pertinerent ad artem, cum tanti momenti fuerint, ut Libanius dicat ⁴⁾ deum aliquem eos misisse, ut iis discat, vulgus veteres fabulas de Priamo Lasoque et aliis traditas, genere tragoedorum, qui has res docuissent, extincto.

Omnes fere archaeologi concedunt ad tragoedias et comedias permultas picturas et anaglypha referenda esse. Kramerus animadvertit ⁵⁾ omnia comica vasorum argumenta e scaena sumpta esse, et Wieselerus ⁶⁾ de vasis, ut ego de speculis, ex gestibus collegit rem esse scaenicam; Grysarus quidem adnotat ⁷⁾, multa anaglypha et picturas vasorum e pantomimis hausta esse. Quocum consentit Furtwaenglerus ⁸⁾, qui de dramate satyrico cogitat.

Quin tragoediae Graecae Etruscis notae fuerint, non dubitari potest. Quam rem A. G. Lange ⁹⁾ et Welckerus ¹⁰⁾

¹⁾ Bull. 1876, p. 214. — ²⁾ Bull. 1877, p. 5.

³⁾ cf. Friederichs, p. 31: »Die Vorbilder der etruskischen Spiegelzeichnungen sind zum Teil griechisch«, et C. O. Mueller Etr. II, p. 261: »ohne Zweifel auf Nachahmung griechischer Vorbilder beruhend«.

⁴⁾ Πρὸς Ἀριστ. περὶ τῶν ὀρχ. III, 391.

⁵⁾ Ueber Stil u. Herk. d. bem. gr. Thongef. p. 133.

⁶⁾ Satyrspiel p. 83. — ⁷⁾ Encycl. Hall. I. I. — ⁸⁾ Ann. 1877, p. 228.

⁹⁾ Vindic. trag. rom. p. 12 s.

¹⁰⁾ Die griech. trag. p. 1340 s.: »Die Theater und manche aschenkisten zusammen genommen, lassen uns kaum zweifeln, dass die griechische Tragödie in Städten der Etrusker bekannt war und dass manche Fabeln derselben, in welcher Gestalt es auch sein mochte, auf den Theatern dieser Städte vorgestellt wurden«.

concesserunt, Raoul-Rochette loquitur ¹⁾ de tragoedia graeco-etrusca; Io. Overbeck longius procedit cum dicit ²⁾:

»Dasz orientalisches costuem auf etruskischen reliefs auch Griechen gegeben wird, ist lange bemerkt und bewiesen. Ich halte es fuer unzweifelhaft, dasz wir in ihm nichts anderes, als ein missverstaendnis des tragischen costüms zu erkennen haben.«

Henricus Brunn, qui per tot annos incubuit urnis Etruscis interpretandis, docet ³⁾ eas offerre »un commentario di tutta la poesia«. Quin etiam C. O. Mueller autumat ⁴⁾, ex urnis Etruscis multas partes tragoediarum perditas restitui posse.

De gemmis etruscis idem fere concessit Koehlerus cum diceret de gemma aliqua ⁵⁾: »Helena ist beschaeftigt, ein opfer darzubringen, das der kuenstler in irgend einem gedicht oder schauspiel gelesen hatte«; ad tragoediam Aeschyleam referenda est sine dubio gemma Etrusca Vindobonae asservata ⁶⁾, in qua Minerva sortem pro Oreste in urnam indit. C. Friederichs denique de nonnullis speculis haec ait:

p. 72: »In der Mitte steht Prometheus, zu beiden seiten Hercules und Apollo, dessen anwesenheit nicht unwahrscheinlich aus einem vers des getoedteteten Hercules erkluert wird«, et

p. 43: »Orest hat die Clytaemnestra ergriffen, um ihr den todesstoss zu geben. Jene haelt ihm die entbloesste brust entgegen, wie Aeschylus gedichtet hatte«

Si ut cognovimus, gemmae Etruscae et vasa fictilia in Etruria inventa argumenta scaenica saepe praebent; si constat — et vix erit qui hoc neget — tragoediis Graecis artifices usos esse ad ornandas urnas, si denique apparet fabulas Graecas tanti momenti fuisse ad argumenta artis, tum nihil obstat ne

¹⁾ Mon. inéd. p. 126: Les Étrusques paraissent avoir affectionné certaines circonstances du mythe de Paris, qui avaient servi le texte aux poètes tragiques, pour en faire des sujets d'urnes cinéraires.

²⁾ Gall. her. bildw. p. 302.

³⁾ I. relievi delle urne etr. I, p. 4; cf. p. 3, 15 ss.

⁴⁾ Etr. II, p. 280.

⁵⁾ Quae recepta est in Millini Gall. myth. tab. CLVI, Nr. 539.

⁶⁾ Eckhel: Choix de pierres gravées du cab. imp. tab. XL.

putemus, speculorum quoque figuras a scaena non abesse. Urnae sane, ut erant funestae, funestis tragoediae, specula, ut erant res delicatioris usus, libidinosi pantomimorum argumentis ornatae erant. Itaque disquisitionem hunc in modum absolvimus: Lasae, similes Laribus, sunt adiutrices et ornatrices, inferius deorum genus. Delectantur mundo et saltatione; non tralaticiae sunt, sed antiquitus in Etruria colebantur; antea fortasse maioris momenti, deinde cum fabularum Graecarum deabus commixtae in scaenam productae sunt. Ceterae virgines famulae nomina gerunt ex partibus quas suscipiebant in scaena, et ex ludorum scaenicorum memoria argumenta speculorum plerumque fluxerunt. —

1827

Nat
Cal. Mart.
Ioanna e
tum lugeo
fiteor eva
me contul
operam n
a viro c
interfui s
Hertz Luc
Rosbach
logici sc
utilitate n
chaeologic
Praeceptor
scheid A.
habebo.

VITA.

Natus sum Albertus *Aemilius* Hugo Schippke a. d. XII. Cal. Mart. anno h. s. LVI Regiomontani patre Adolpho, matre Ioanna e gente Stanke, e quibus illum acerbo fato mihi ereptum lugeo, hanc vivam debita pietate prosequor. Fidem profiteor evangelicam. Testimonium maturitatis adeptus Oppavia me contuli Vratislaviam philologicis et archaeologicis studiis operam navaturus. Inter cives huius Universitatis receptus a viro clarissimo Godofredo Galle per deciens sex menses interfui scholis v. v. ill. Bobertag Dilthey Elvenich Gruetzner Hertz Ludwich Neumann Partsch Peucker Pfeiffer Reifferscheid Rossbach A. Schultz Stenzler Weber. — Regii seminarii philologici sodalis fui per duo semestria. Nec non summa cum utilitate mea per octo semestria interfui exercitationibus archaeologicis, quas moderabatur vir doctissimus A. Rossbach Praeceptoribus meis, imprimis v. v. ill. M. Hertz A. Reifferscheid A. Rossbach gratias quam maximas habeo semperque habebo.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Scalam quae vocatur mystica sistrum habendum esse cum Heydemanno puto.
 2. Tac. Hist. II. 10, 9 scripsisse videtur: retinebat adhuc terrores. sed
 3. Tac. Hist. II. 92, 7 legendum est: dum ambitu comitatus et
 4. Soph. Ant. 368 haec est genuina lectio: νόμους παρειπών
χθονός.
 5. Eo anaglypho, quod Helbigius Ann. 1863, p. 28 ss. publici iuris fecit, pantomimus repraesentatur.
-

SAE.

ndum esse cum

ebat adhuc ter-

itu comitatus et

νόμος περιπέων

28 ss. publici


FÜR C

HER.

ÜBE

Die besch
thago im erste
entlich gegen
wichtig jedoch
folge der einze
denn das ganze
berührt und v
ist keineswegs
alle seines w
studien aufbau
fehler begehen
ein ganz klare
die er beschrei
achten buch, w
klar gedacht u
darstellbar: je
in schreiendem
stehen nur die
Augustus beha
das bild an, so
die gelegenhei
gigigster weise
jenes schildes a
ehen andern st
das tiefere kun
meinen und der
liche kunstker
der vermutlich

Jahrbücher für e



XST.30

OVERBECK'S
TRACTS

18

ART



1861

Digital ColorChecker® SG



gmb
GRETAGMACBETH

